Th S

1893

STATUS QUÆSTIONIS DE PROBABILISMO

IN

TERMINIS MAGIS RESTRICTIS

ULTERIORI SAPIENTUM

DISCUSSIONI

EXPOSITUS

A

QUODAM SACERDOTE

SÆCULARI

J. [Josephi] H. [Herz]

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

SUMPTIBUS JOANNIS GEORGII DORNNER,

prope Colleg. Soc. JESU.

Anno 1766.

Stadtbibliothek
Augsburg

1950 36

DE

SACERDOTE

AD

EXPOSITIO

DISCIPLINÆ

SUMMÆ S. THOMÆ

IN

OBSERVATIONES

DE

SUMMA

PRÆFATIUNCULA
AD
LECTOREM.

Habes hìc Erudite Lector! opuſculum nulla diuturna Meditatione excogitatum, nec longô Studiô elaboratum, neque ſecundîs curîs expolitum; ſed inter negotia quotidiana ſpatiis interpolatîs & calamo animum prævertente deproperatum. Fœtus igitur maturus quidem non eſt, attamen ſublimioris Sapientiæ radiis ad perfectionem fructuum

ctuum facilè maturandus. In-
tentio Scriptoris principalis ea
fuit, ut duæ Classes Theologo-
rum circà licitum vel illicitum
usum Probabilium maximè dissi-
dentium tandem aliquando con-
ciliarentur. Intentioni optimæ
utrum effectus respondeat, tuo
Erudite Lector Judicio relinqui-
tur. Vale & menda tam Au-
ctoris quam Typographi beni-
gnè excusa.

ANI-

ANIMADVERSIONES
IN DOCTRINAM
DE PROBABILISMO.

Animadverſio Præliminaris.

§. I.

OBjectum argumenti, de quo præſens aget lucubratio, Probabilismus eſt. Ratio, quæ occaſionem præbuit, & jus quoddam tribuit iſtas animadverſiones conſcribendi, alia non fuit, quam dignitas materiæ; & modus parum exactus, quo argumentum tantæ dignitatis paſſim tractatur. Siquis copioſas ſive magni, ſive exigui voluminis lucubrationes ſtudioſe perſcrutari voluerit, quas Theologorum induſtria de uſu probabilium opinionum quotidie elaborat, & à nonnullo tempore typo publici juris fecit; lubens is fatebitur, quod magna Pars Scriptorum in excolenda hac ſtudii moralis parte non rarò propriæ inclinationis deſiderio potius litare, quam diſciplinæ morum, & ſaluti fidelium con-

ſulere ſtuduerit. Si controverſia de licito uſu probabilium de illo foret genere contentionum, in quibus extra officinam meræ ſpeculationis uſus, vel abuſus locum nullum invenirent; inſons, & venia dignus exiſteret hic perpetuo dimicandi ardor, quo acies, & Litterarii Pugiles Viros, qui ex adverſo ſtant, continuò, impetere ſoleant. At, cùm de norma recti, & de regula moralitatis primaria agatur, nemo ſanus negabit, quod tantus ducum, & magiſtrorum diſſenſus in re maximi momenti innoxius, vel Reipublicæ Chriſtianæ proficuus eſſe nequeat. Et quod plus eſt, ſiquis error etiam practicus ſeu magiſtro in docendo, ſive operanti in agendo circa opinionem aliquam, vel actionem particularem irrepſerit, nemo non agnoſcit, quod effectus hujusmodi erroris Sphæram operationis particularis non egrediatur, neque lue pravitatis ſuæ alias inficiat actiones. Secus res ſe habet, ſiquid vitii, aut erroris ipſis principiis, & primis morum Regulis inhæſerit, quia ex radice infecta fructus enaſcentes facile de pravitate illius participant.

§. II.

Duæ ſunt Theologorum, & Juris-Conſultorum Claſſes, qui in Doctrina de licito uſu probabilium maxime ſibi invicem ad-

adverſantur. Una pars eorum abſolute negat, & improbat libertatem, & licentiam ſequendi opiniones *minus tutas*, ſi eædem ſint pariter *minus probabiles*. Et altera pars è regione contendit, & propugnat, quod, nonnullis dumtaxat materiis exceptis, in praxi quoque omninò licitum, tutùmque ſit opiniones ſequi minus probabiles, & minus tutas, dumodo tamen tales opiniones ſint, & maneant practice adhuc, & verè probabiles; & hujus Doctrinæ Sectatores communiter vocari ſolent Probabiliſtæ, Doctores benigni, & ſubin ad invidiam laxiſtæ: Prioris autem Claſsis Auctores ex Ratione Doctrinæ ſuæ dicuntur antiprobabiliſtæ, Probabilioriſtæ, & ſubin etiam Doctores-Rigidi &c.: quamvis non deſint complures, & inſignes Theologi, qui inter prædictas claſſes quaſi mediam conſtituunt; & licentiam ſequendi opiniones æqualiter probabiles ſuſtinent, quia tamen iſta pars Doctorum, quatenus illa peculiarem claſſem efficit; ad propoſitum præſens parum facit; non vacat illi ſingularem attentionem tribuere, quemadmodum etiam nec illis eſt operæ pretium imorari, quibus tutioriſtarum nomen fuit attributum; ſed propoſitum animadverſiónum, quas à multo tempore frequentes facere conſueveram, ſe potiſſimum continuit intra Pomæria majoris, &

minoris probabilitatis, & præsentes paginæ aliud examinare non conabuntur, quam rationem, & justitiam belli, qu› antiprobabiliſtæ contrà probabiliſtas, & iſti contrà illos tam acriter, & armis ſubin minus probatis pugnare ſolent.

A ſcopo hujus diſcuſionis penitus alienum non erit, ſi paulo propius indicaverim motivum, & occaſionem, quæ me ad frequentiores, & ſerias meditationes ſuper licitum, aut illicitum uſum minus probabilium opinionum permovere ſolebat. Poſtquam in caſtris Probabiliſtarum primitus educatus, & exercitatus diu fueram; ſors, & novæ vocationis lex tulerat, quatenus ſub vexillis probabilioriſtarum non exiguo tempore, & in officio Magiſterii Litterarii ſtipendia mereri debuerim; ubi, poſtquam volumina, & merita utriusque Patris exactius diſcutere, ratio officii coegerat, cum ſenſu veritatis atteſtari poſſum, quod ex utraque parte non pauca invenerim, quæ mihi viſa fuerunt partim à genuino ſtatu quæſtionis extranea, partim ita vage, & deſultorie dicta eſſe, ut circumſtantiæ uſus liciti ab illicito non ſatis diſtinquerentur.

§. III.

Uterque uſus opinionum tam magis, quam minus probabilium habet ſuos limites,

tes, & circumſtantias, in quibus tum unius, tum alterius uſus poterit eſſe vel neceſſarius, & utilis, vel operanti magis conducibilis, & tuto amplectendus. Sed id mihi in ſcriptoribus tam unius, quam alterius diſciplinæ placere, aut probari nunquam potuit, quod, cum totus ambitus, & univerſa ditio Probabilismi complures diverſi generis, & fidei nationes complectatur, ac ſpecies probabilitatum includat prorſus diverſas, ita ut à Probabiliſtis fere omnibus opinionibus adhuc probabilibus jus municipii, & licentia uſus liciti pro caſu, ubi de mera actionis licentia agitur, tribuatur; E contrario verò antiprobaliliſtæ iſtam licentiam, & uſum opinionum minus probabilium ab omni ferme comercio actionum moralium excluſum eſſe velint. Mea ni me vehementer fallat opinio; neutra ex iſtis oppoſitis ſententiis ſuo caret tum errore, tum veritate. Error quippe videtur nimis apertus, ſi prætendatur, quod uſus probabiliorum etiam extra materias exceptas ſemper ſit præſcriptus, & de neceſſitate immunitatis a peccato tenendus, Sicut ex adverſo conſcientiæ nonniſi laxæ notam, me judice, vix effugeret, ſiquis absque ratione ullius neceſſitatis ex Privilegio meræ libertatis ſequi ſemper vellet, aut frequenter ſoleret opiniones minus probabiles, & mi-

nus tutas, quæ tamen cuncta non obstant, quo minus utraque Doctrina suis in circumstantiis utilitatem, atque usum habere possit saluberrimum.

In rebus humanis fere universa ita sunt comparata, ut res, quæ ex una parte, & sub certo respectu, ac situ considerata salutaris, & optima judicatur; ex alia parte inspecta, & in aliis circumstantiis constituta mala, & nociva esse reperiatur. Quid utilius, & magis necessarium, quam esca, & panis quotidianus; & tamen potest hic, vel illius nimius usus homini infirmo esse gravis, & omninò noxius. Idem judicium tenendum est de medicina, utpote cujus superflua, & importuna ingestio valetudini optimæ de facili potest fieri lethalis, vel in detrimentum cedere, quid? Si tam probabilismus, quam probabilioris mus etiam geminam habeant faciem, quarum una sub certo respectu esset bona, & altera mala? sicut laborem servilem causa necessitatis in die festo reddit licitum, & ratio misericordiæ etiam meritorium, quin exinde consequatur, quod is universim sit licitus aut permissus ad libitum.

§. IV.

Illa quidem Pars Theologorum, qui in castris Probabilistarum militant; sequenti-

tibus ſententias etiam minus probabiles extra caſus quosdam exceptos fidenter, & univerſim immunitatem ab omni peccato, & peccandi periculo aſsecurat. Et quis ſecum ſine neceſſitate ita auſterus exiſtat, qui in quotidianis actionibus per vias comodiores, & minus difficiles non libentius incederet, & regulas morum non optaret latiores? dumodo adeſſet, qui ſic incedentibus de indemnitate cautionem præſtaret, & in ſequiorem eventum de evictione cavere poſſet, utpote quibus aſſecurationis cautelis deficientibus viri prudentes in tanti diſcriminis negotio non facile confidunt, minus contempto qualicunque periculo temere transilire præſummunt, ſed rebus ſuis modo, quo poſſunt, meliori conſulere ſatagunt.

Ultrò illorum quoque adſtipulor judicio, qui volunt, pauciores expedire leges habere, eàsque certas, quæ tamen exactè obſerventur, quam earum numerum multiplicare, & obſervantiam negligere. Sunt enim, qui teſtimonio ab Experientia ducto ſcire prætendunt, quod Doctores Rigidiores in obſervantia legum etiam certarum non ſemper ſint cæteris exactiores; ſed potius viceverſa evenire, ut illi, qui erga alios ſint indulgentiores, ſtudio perfectionis omnia obſervent mandata etiam dubia,

idque exactiſſime. Ut tamen iſta ſe habeant; indubium nihilominus manet, quod argumentum inde in favorem mitioris diſciplinæ deductum in rigore Theologico ita non concludat, ut per illud attentis, quæ in oppoſitum faciunt, timoratis, & rebus ſuis bene conſulentibus omnis juſtus ſcrupulus eximatur. Altera Pars Theologorum, qui iſtis directe adverſantur, per omnia contendunt, quod in praxi tutum, & a periculo peccati formalis liberum minime ſit amplecti, & ſequi in operando Doctrinas minus probabiles, & minus tutas, quia ipſa ratio obſequii, quo Deo obſtringimur, juxta iſtos Auctores exigere videtur, ut in obſervandis ejusdem mandatis, & juſtificationibus non ſimus adeo avari, & illiberales, quatenus nullis velimus ſtringi præceptis Divinis, & naturalibus, niſi præciſe illis, de quorum exiſtentia, promulgatione, ſenſu, extenſione ad hunc, vel illum caſum, & de non ceſſatione certò conſtet. Ut quidam graves, & virtute non minus, quam ſcientia præſtantes Auctores ita exiſtimant, & fideles ad ſequelas opinionum, ni tutiorum, ſaltem probabiliorum obligatos volunt; ita dubium non eſt, quin illa pars fidelium negotio ſalutis maxime conſulat, quæ proprio motu, vel ſtudio majoris perfectionis regulas morum ſequi ſtatuit perfectiores, tutio-

tutiores, vel saltem probabiliores; sed cardo quæstionis in eo vertitur articulo: an nolentibus tantum oneris, & talis obligatio imponi valeat, vel directioni interioris hominis, & curæ animarum conveniat, & expediat, quatenus fideles universim ad sequenda principia, aut tutiora, aut probabiliora sub reatu gravis, vel levis culpæ stricte obligentur? quoniam expedire neutiquam existimatur, ut jugum mandatorum, quod ex Divini Magistri testimonio leve est, eo modo aggravetur. Absit, ut rationum momenta, quibus tam una, quam altera sententia sustinetur, parvi pendantur, aut de bona fide hanc, vel illam partem tenentium jure dubitetur. Sed de quo omnes de re christiana bene sentientes maxime dolent, illud est, quod ipsi morum censores, & primi fidelis populi magistri post Sæculorum prælia, post collationes, & disputationes innumeras, & per tam laboriosas investigationes veritatis in statuendis, & concordandis primariis actionum moralium principiis hucusque non solum necdum convenerint; sed in dies adeo amplius à se invicem discedant, ut in re tanti momenti spes pacis, & concordiæ vix ulla affulgeat. Esto itaque, quod Reipublicæ Christianæ, & directioni animarum ad suum finem immensum bonum præstaret is, qui dissidentes

ad pacem, & concordiam conciliaret, efficerètque, ut Theologi utriusque partis in ſtatuendis ſaltem ipſis principiis, ac regulis liciti, ac illiciti, in unum convenirent; idquod tamen in præſentiarum impetrare minime intendo; ſed propoſito meo abunde ſatisfactum erit, ſi ſtatum quæſtionis de licito uſu probabilium ad certos articulos, & ad puncta quædam magis circumſcripta arctaverim, ita ut utriusque probabiliſmi effigies, & ſyſtema univerſis quoad ejus interiora adeo perſpicue exhibeatur, quatenus, quivis rerum intelligentes propius perſpicere poſſint, ac judicium adæquatius ferre: an, & quinam uſus Probabiliſmi, & in quo ſenſu, aut in quibus circumſtantiis poſſit, ac ſoleat eſſe *Germaniſſimus?* degenerare minime poſſit *in Laxismum?* & quando uſus Probabilioriſmi ſit *maxime periculoſus*, & *Germaniſſimus in rigoriſmum excurrere*, & ſimul *laxismum inducere debeat.* Plura hic præfari tanto magis ſupervacaneum erit, quia proſecutio argumenti per ſequentes animadverſiones cætera per ſe manifeſtabit.

ANI-

ANIMADVERSIO II.

De Opinione Probabili.

§. V.

In reſponſione ad iſtam quæſtionem libenter adſtipulor traditis à D. Bernardo L. 5. C. 3. de Conſid. quod opinio ſit aliquid *pro vero* habere, quod falſum eſſe neſciam. Et hinc à theologis præſertim modernis opinio communiter definitur, quod ſit aſſenſus mentis, vel, ut alii dicunt, actus intellectus ad unam partem contractionis cum formidine de oppoſita (a) ubi notant Scriptores, quod opinio in hoc differat à dubio, quia hoc proprie ſit ſuſpenſio aſſenſus, cum tamen opinator alterutri Parti *poſitivum præſtet aſſenſum*, ita ut eam, quam amplectitur, opinionem judicet, & teneat *ut veram*, licet non ſine formidine erroris, ex quo ipſius aſſenſus, & acceſſio ad unam partem nullo nititur motivo certo, ſed ſolum probabili.

(a) Ita opinionem deſcribit P. Jeremias de Padua dictus Pithanophilus defin. 25. in ſuo Probabiliſmo Mathematice demonſtrato, ubi argumentum pluribus docte diſcutit.

P. Joſephus Maria de Gravina apud P. Biner in Hiſtoria Probabilismi P. 10. c. 20. n. 264. Opinionem probilem dicit, quæ ſolidis eſt nixa rationibus, claſſicisque tecta patronis, nulli certo principio, nulli-

que

que vel conventioni, vel legi, vel consuetudini adversetur publicæ.

P. Lacroix l. 1. n. 203. certum est, inquit, per probabile hic non debere intelligi omne illud, quod habet *qualemcunque speciem veritatis*: sed, per Probabile nostrum intelligi aliquid, quod ab intellectu *approbabile est tanquam verum*. Econtra admitti debet, quod falsum possit esse probabile juxta tritum Aristotelis: *multa falsa esse probabiliora veris*.

§. VI.

Supposita ista opinionis notione illud ego hic ex occasione animadverto, quod, cum omnis opinio ex ratione essentiæ suæ postulet, & supponat *assensum*, seu *judicium*, & *sensum Veritatis*, ita ut is, qui objecto, & Doctrinæ alicui non assentitur *ut veræ*, eo ipso maneat intra septa meri dubii, quin attingat rationem opinionis veræ, & positivæ, quæ sine assensu, & sensu veritatis non subsistit non pauci Doctores in suis ad quæstiones, & casus sibi præpositos resolutionibus parum attendant, vel non curare videantur, utrum de veritate opinionum, juxta quas dubia practica, & casus conscientiæ hinc inde resolvunt, sensu, aut assensu absoluto suasi, vel persuasi existant; si enim positivo assensu uni parti adhærerent, & non potius mentem quoad utramque suspensam tenerent; non apparet, quomodo illud apud moralistas solenne locum haberet: hæc,

vel

vel illa *opinio eſt communior*, *eſt probabilior*, & *verior*, altera tamen, quæ a multis defenditur, eſt etiam probabilis, & *practice tuta*; talis quippe conſultor in reſolvendis caſibus practicis debet utrique opinioni aſſentiri, *ut veræ*, uni, ut *magis*, & alteri ut *minus tali*: veritas enim conſiſtit in indiviſibili, nec poteſt una opinio eſſe oppoſita proprie loquendo magis vera, ſed tantum *magis vereſimilis*, cum alterutra ſit certo falſa. (B) Quidquid tamen de hoc ſit quoad theologos doctos; & rerum moralium peritos; illud tamen animadverſione minus indignum cenſeri poteſt, quod homines tam indocti, quam etiam docti (intellige de doctoribus extra chorum Theologorum,) vel etiam de theologis ſuperficialibus, in exquirendis, & examinandis doctrinis, & opinionibus, ex quibus ſuas operationes in praxi juſtificent, raro, vel nunquam ſint ſoliciti, vel curent: an opinio actionum ſuarum directiva ſit ſive vera, ſive falſa, domodo ab aliquo intelligant, vel in quovis theologo, qui forte unicus ad manus eſt, legant, opinionem, quam quærunt favorabilem, eſſe *probabilem*, & a nonnullis auctoribus ut talem defendi. Quis enim a miniſtris aulicis, quis à verſantibus in foris, & officiis ſæcularibus, quis à Paſtoribus, & Confeſſariis junioribus, & ruralibus plus requirat, quam

ut in dubiis liciti, vel illiciti consulant unum, aut alterum Doctorem, vel theologum impressum, quem occasione data sibi compararunt, & si sententiam, quam suæ intentioni favorabilem intelligant: ut probabilem defendi repererint, tuto se illi conformari posse existiment.

(B) P. Thyrsus Gonzalez differt. 3. de recto usu probabilium l. 3. §. 2. hanc absolute propugnat thesim: quando opiniones sunt invicem oppositæ, & veritas unius est falsitas alterius non manet obsolute probabilis respectu operantis pars illa, quæ ipsi proponitur ut minus verisimilis, *quia illum non potest* NB. *tunc approbare* NB. *ut veram per prudentem assensum*. aliud est, quod utramque contradictionis partem possit simul judicare probabilem judicio ab utriusque veritate suspenso. Lacroix n. 239. fol. 28. Sed opinio dicit assensum uni parti, & quidem ut veræ præstitum, ut P. Biner innuit. fol. 793.

Non sine Sensu Veritatis, & ex testimonio tam propriæ, quam alienæ experientiæ attestari possum, quod de viris Spectatissimis, Ecclesiasticis, & laicis sæpius animadverterim, illos exultasse, si pro casu, vel dubio, in quo ancipites hæserunt, in libro aliquo theologico demum invenerint, quod opinio rebus, & intentionibus suis favens a nonnullis asseratur *Probabilis*, quamvis eodem simul contextu addatur, quod opposita sententia sit probabilior, & communior, quin curæ eis fuerit, unius, vel altertus fundamenta in ordine ad meritum assensus præstandi examinare, quia ejusmodi hominibus, libris, & tempore destitutis, satis esse potest, si sciant, licere sequi quamlibet opinionem etiam minus probabi-

lem,

lem, esse autem talem opinionem vere, & practicè probabilem exinde merito præsumebant, quia ea à theologis probabilis asseritur sine admonitione de periculo practico; ratio hujus notæ patescet ex dicendis inferius.

§. VII.

Præterea hoc loco prætereundum non est, quod testantibus auctoribus a P. Thyrso Gonzalez differt. 3, n. 56. relatis omnes antiqui tam theologi, quam Philosophi *probabile* pro eo, quod nunc *probabilius dicitur*, frequentius usurpaverint; nam sicui placuerit textus, & loca inspicere, quæ a modernis Probabilistis in favorem benignioris disciplinæ ex antiquis Patribus SS. Canonum Interpretibus, & theologis magis antiquis referuntur; facili negotio apparebit luculenter, quod illi ferme universim *probabile* in alio intellexerint sensu, quam illud recentiores accipere solent, id quod non solum Cl. P. Amort in Tom. 1. theologiæ Eclecticæ disput. 2. de actibus humanis pag. mihi 156. amplius demonstrat; verum id ipsum etiam ex Commentariis Veterum Canonistarum, & Theologorum non sine specie evidentiæ manifestum est, ita, ut siquis de veritate hujus asserti nonnihil dubius hæsitaverit, pluris non erit opus, quam ut textus antiquorum theologorum, & sacri juris interpretum apud

auctorem nulli ſuſpectum Patrem Sc. Raſsler in norma recti a 345. uſque ad 489. inſpiciat, & facili modo intelliget, quod illi doctores opinionem probabilem in alio, ac recentiores ſenſu explicaverint, vel pro diſciplina Probabiliſtarum aperte non ſteterint.

Ex Canoniſtis antiquioribus pro licentia probabilismi benigni paſſim allegantur Hoſtienſa in Cap. Si *Vir*, de cognat. Spirit. Panormitanus in Cap *Capellanus*, de feriis, Alexander de Imola, & Antonius de Putrio in alleg. & alia Capitula; ubi licitam docuerint inter ſententias diverſas ſequelam minus probabilis, ſaltem inter auctores Medina antiquiores iſti doctrinæ faventes paſſim laudantur. Sed optandum foret, ut omnes ſtudio morali operam navantes occaſionem haberent iſtos Canoniſtas in fontibus inſpiciendi, & patefieret, quam infirma ſit demonſtratio, quæ methodo etiam mathematica pro Syſtemate benigno inde conficitur. Centies, & centies modo pro hac, modo pro altera diſciplina in partes trahuntur iſti canitie ſua Venerabiles Achates, & Magiſtri morum, quin tamen ex centenis allegatoribus ſive probabilioriſtis, ſive probabiliſtis nonaginta unquam cogitaverint iſtorum virorum Commentaria, & textus allegatos in ſua œconomia examinare, vel tubo optico a longe conſiderare, & tamen Syſtema mundi Ptolomaicum mathematicè demonſtretur?

ANI-

ANIMADVERSIO III.

DE OPINIONE COMMUNI.

§. VIII.

Tametſi res in vulgus nota eſſe videatur; **quid** ſit opinio communis? Fato tamen, & licentia ſcriptorum factum eſt, quod ſenſus, & ſignificatio illius ſaltem generice ſumptæ modo hunc, modo alium inuant intellectum auctoritatis extrinſecæ, ita ut per opinionem communem primo intelligatur ſententia, ſeu Doctrina, quæ eſt *communis omnium*, *aut fere omnium* Doctorum ea de re tractantium, ſecundo modo opinio *communis* dicitur, quando magnus numerus auctorum eandem propugnat: atque æque magnus, aut prope æqualis numerus Doctorum eidem contradicit, uti contingit, cum integra Schola e. g. Thomiſtica ſtat pro una; & alia Schola v. gr. Scotiſtica pro oppoſita ſententia; ita ut hæc ſit communis unius, & altera communis alterius Scholæ. Tertio modo ſolet ab aliquibus ſententia etiam tunc communis nuncupari, quando pro illa ſtant quinque, vel ſex auctores, qui eandem rationibus diligenter perpenſis, & excuſſis ex profeſſo tractant, & defendunt, quamvis quinquaginta auctores ſola fere priorum auctoritate nitentes contrariam ſententiam tueantur, ùt complures Theologi duce Na-

varro tradunt apud Cardenas Dissert. 3. in propoſit. damnat. fol. 202. n. 9.

Juvat hic Martini de Azpilcueta Navarri, utpote parentis hujus tertii membri verba adſcribere, poſtquam iſte Inſignis Auctor inter regulas boni Confeſſarii pro medicina nova aſſignaverat *electionem bonam* ex variis opinionibus, atque in ordine hujus bonæ electionis tradiderat, *ut quarto ceſſantibus* priori loco præſcriptis *Confeſſarius eligat opinionem communem, ſi ſciatur eſſe talis.* tum. n. 239. cap. 27. fol. mihi 1040. pro hujus regulæ explicatione addidit: Non videtur una opinio appellanda communis ad effectum præjudicandi alteri eo ſolo, quod eam plures ſequantur tanquam oves aliæ alias. Communiorem enim ad hoc exiſtimarem illam, quam ſex, vel ſeptem auctores Claſſicum rem ex profeſſo tractantes aſſererent; quam probatam a quinquaginta ſola fere auctoritate priorum ductis. Opinio enim non ex numero opinantium, ſed ex pondere auctoritatis fit, quin & arbitror, utramque ad hoc poſſe dici communem, quando utraque habet octo, vel decem aſſertores graves & cum judicio eam deligentes.

§. IX.

Plurimum refert, ut in praxi iſtæ tres ſpecies opinionum communium non confundantur, ſed una earum ſpecies ab altera perbene diſtinguatur. Primi generis opiniones, de cujus veritate omnes, aut fere omnes theologi, & Jurisconſulti, unanimi conſenſu conſpirant, ita ut eisdem nulli refragentur, niſi viri forte pauci, illique in Republica litteraria parum

No-

Nobiles, atque in comparatione aliorum non multum celebres, dici ſolent, & poſſunt communiſſimæ, vel mere communes. Secundi generis autem opiniones congrue appellantur æque communes, aut communes plurimorum contra communes pariter plurimorum. Tertii denique generis opiniones, quæ tantum paucos habent patronos non poſſunt dici communes, niſi reſpective tantum, quatenus eædem nullos habent contradictores fide, & attentione dignos, conſequenter quinque, ſex, vel ſeptem celebres aſſertores faciunt ſuam opinionem probabiliſſimam, & *mere communem*. Iſtis ſic præmiſſis adverto, quod opiniones communes de primo genere in praxi reputandæ ſint *moraliter certæ*; iſtis præſertim temporibus, ubi omnium ſententiarum, & opinionum rationes, & fundamenta ad intima uſque viſcera ſolent eſſe perſcrutata, & eorum pondera a Centenis Sapientibus, & acutis Doctotibus in ſtatera Sanctuarii Theologici Librata. Quodſi nihilominus opinio aliqua hodiedum ſuſtinetur ab omnibus, aut fere omnibus auctoribus, jure merito tenenda eſt, *ut moraliter certa*, & ab illa in praxi non eſt recedendum, ut bene docet P. Sporer tract. proem. c. 1. §. 4. n. 40. In jure quidem humano opinio communis habetur pro lege, & in rebus facti ſententia communis citra dubium parit certitudinem moralem, ut

cum aliis tenet Cardenas in Crisi theol. ad propositt. damnat. n. 411. & n. 204.

Quod autem communis sententia omnium, aut fere omnium etiam circa obligationes naturales, & divinas constituat certitudinem moralem, inde suadetur, quia firma persuasio apud omnes, aut fere omnes fideles, apud tot hujus ævi litteratos, & investigatores veritatum de aliqua obligatione divina, vel naturali est haud dubie quædam traditio, quæ certitudinem moralem infert. Hæc autem universalis persuasio certo verificatur, si omnes Docti sive Ttheologi, seu Jurisperiti unanimi consensu per omnes nationes aliquid affirmant, defendunt, vel reprobant. Et licet auctoritas extrinseca quantumcunque magna non reddat opinionem probabilem, minus certam, nisi per rationes intrinsecas appareat, & existat rectæ rationi, & legi divinæ conformis; ut Scriptores crebrius, quam necessarium foret, admonere solent; attamen vana regulariter loquendo censeri debet ista solicitudo, quia communis persuasio, & consensus universalis Doctorum jam supponit fortes rationes intrinsecas, & conformitatem doctrinæ cum legibus, & recta ratione. Intelligi enim non potest, quomodo istis temporibus, ubi in tanta copia Doctorum, & in tanta abundantia omnis generis librorum universæ partes scientiæ moralis ad torturam usque

sunt

sunt excussæ, & uvarum instar expressæ; tot investigatores veritatis super aliqua re ita conspirare potuerint, nisi vis veritatis, & harmonia objecti cum assertione tantam concordiam opinatorum fundasset.

Neque obest illa Theologorum animadversio, quod complures doctrinæ, & sententiæ, quæ antiquitus fuere communes, per industriam, & recessum recentiorum evaserint minus communes, aut suam probabilitatem omnino perdiderint; nam exploratum est omnibus, quod temporibus illis arte typographica anterioribus, quando usus librorum relative ad modernum ævum fere erat nullus, & quando non minus ipsæ Bibliothecæ, quam in illis codices nonnisi immenso labore descripti erant rarissimi, innumera capita, & partes in omnibus facultatibus litterariis nec fuerint, nec potuerint ita exacte discuti, ac modo omnium omnino scientiarum intima viscera per tot investigatores perspicatissimos fuerunt explorata, nullam, vel nonnisi modicam spem successoribus relinquentes, nova in scientia morum fundamenta, eaque probata detegendi. Pro regula itaque fundamentali respectu non minus Confessariorum, Consultorum, & Doctorum; quàm Judicum statui potest: a sententia communi directa in praxi non esse recedendum, nisi communis opinio appareat manifeste falsa, vel falsi-

tatis convincatur gravibus, & probabiliſſimis rationibus, vel denique receſſum ab iſta juſtificet aperta neceſſitas.

Ad majus robur hujus regulæ ſuperfluum non erit non nullorum Scriptorum teſtimonia adducere. Abbas Panormitan. in Cap. 1. *canonum* de conſtit. paucis ita differit: ſecundo caſu, quando eſt dubium poſitivum in opiniouibus Doctorum, tunc ſi reperire eſt *communem opinionem*, tunc non debet judex ab illa recedere, quia major pars melius inveſtigat veritatem. Hoc verum eſt ſecundum Hoſtienſem, & Ioan Andream, quoniam non licet recedere a communi opinione Doctorum, niſi communis opinio ſit evidenter falſa, vel poſſit convinci probabilibus rationibus, quod bonus judex acutiſſimi ingenii arbitrabitur. Panormitano cæteri quoque Interpretes ſuffragantur. Et licet iſti de judice ſignanter loquantur, ex communi tamen ratione legis ab aliis cum P. Sporer, Navarro, merito eadem obligatio non recedendi a communi opinione extenditur ad Confeſſarios, Conſultores, Magiſtros, & ad Directores propriæ conſcientiæ. Plura de hoc argumento referentur inferius agendo de judice.

§. X.

De opinionibus communibus ſecundi generis non eſt, quod multis animadvertatur, ſi enim opinio Negans Obligationem legis eſt communis plurimorum, ita ut integra Schola cum ſuo Magiſtro eam ut abſolute veram defendunt, & perpenſis toties quoties rationibus, ex quibus æque communis aliorum Doctorum oppoſitum tuetur,

tur, eandem nihilominus probabiliorem existimet; tunc cum Patronis docentibus licentiam sequendi sententias æque probabiles videndum est; an, & ex quibus fundamentis reflexis formari possit dictamen moralitater certum de non existentia obligationis in casu, quo opinio est tantùm probabiliter communior. Aliud verò, & bene advertendum est pro casu, quo opinio spectatis omnibus Magistris, & theologis universim sumptis est certò communior, ita ut omnes, aut fere omnes scribentes asserant, & passim fateantur opinionem aliquam esse inter Doctores *Communiorem*; nam pro isto casu censeo, quod ejusmodi opinio communior tamdiu æstimanda sit probabilior, & magis vera, quamdiu authenticis, & judicio Publico approbatis rationibus de possessione, & præsumptione majoris suæ probabilitatis non dejiciatur. Ut tamen intentio hujus animadversionis magis fiat perspicua; Ecce! duo sunt, quæ in ordine ad usum practicum Vera esse hic contenditur. Primum est, quod magna sit turba, opinionum certò communiorum, & alterum, quod pro opinione communiore stet præsumptio veritatis, vel probabilioritatis, donec ista præsumptio justificatis rationibus elidatur. Prima pars hujus assertionis, quæ est facti, probatur inspectione Moralistarum, in quibus millies, & amplius illud vulgare, & tritum

occurrit : *hæc ſententia eſt communior: huic opinioni ſuffragantur auctores longe plures* contra paucos, vel pauciores ; *hæc ſententia eſt quidem paucorum contra communiorem*; attamen practicè probabilis, aut non improbabilis. Operæ pretium fortè non deerit data oportunitate catalogum exhibere de ejusmodi opinionibus communioribus, & de oppoſitis minus communibus. Altera pars prioris aſſertionis: quod pro communiore opinione ſtet præſumptio veritatis & majoris probabilitatis, inde patet, quia major pars Doctorum cæteris paribus plus videt, quam minor; quis enim neget, quod plures Thomæ, plures Bonaventuræ, & plures Suarezii momenta rationum uberius, & profundius rimati fuerint, quam unus tantum eorum. Deinde tenetur judex communiorem ſententiam ſequi in decidendo, idque non ex alia ratione, quam quia communior præſumitur eſſe probabilior, & verior, niſi contrarium efficacibus evincatur rationibus. Demum, ſicut communior conſenſus SS. Patrum circa intellectum, & ſenſum S. Scripturæ, & ſtatuenda fidei dogmata cæteris paribus majorem rationem habet traditionis, & veritatis; quam minor pars; ita pariter notorie major pars theologorum, & jurisperitorum importat perſuaſionem hominum, & præſumptionem veritatis, ita ut omnes veritatis, & Juſtitiæ Sectatores, quibus facultas deeſt, & occaſio mo-

momenta rei intrinſeca ad rationem Sanctuarii ponderandi (Et quibus iſta facultas non deeſt, niſi judicibus præſumptuoſis?) optime agant, quando deeſt communiſſima, in regula ſemitas ſequantur communiores, & magis tritas, adeoque in praxi pro regula ſtatui valeat: opinio communior eſt probabilior, & verior, niſi aliud rationibus probatis evincatur.

§. XI.

Doctrina de opinionibus communibus tertii generis, quando quinque, ſex, aut ſeptem Doctores aliquas ſententias contrà quinquaginta propugnant, non eſt ſine cautelis accipienda, & bene maſticanda, ne abuſus, & ſcandala pariat: Imprimis enim quis de quinquaginta antiquis aſſertoribus ejusdem veritatis ante detectum errorem manifeſtum absque injuria præſumet, quod traditam a ſe doctrinam non exanimaverint? quis prudenter, & ſine offendiculo ſibi, vel alii perſuadebit, quod quinquaginta viri ex tribu S. Benedicti, vel ex tribu S. Dominici, S. Franciſci, S. Ignatii ſine examine rationum proceſſerint, & unus alium velut ovis ovem ſubſecutus fuerit? vel ſi placeat, ponantur quinquaginta viri ex omni tribu, lingua, & natione, qui in operibus evulgatis unam aliquam, eandemque ſententiam ut veram, vel ut probabiliorem tenuerint: unde ici-

re quis poterit, hos, vel illos Doctores meros Sectatores aliorum auctorum extitisse. Fruſtra ſiquidem, & perditâ operâ ſæpius apud theologos Nomina, & deſignationem illorum ſcriptorum quæſieram, qui aſſertionum ſuarum momentis non ſatis diſcuſſis ita procedere convincantur. Ex eo enim, quòd unus auctor alios ſequatur, ut eorundem ſententias, & aſſertiones iisdem multoties verbis, & iisdem prorſùs periodorum texturis deſcribat, nullum probabile conficitur argumentum ad præſumptionem deficientis examinis, quia idem â Principibus theologorum, & Juriſconſultorum factitatum eſſe facile deprehendet, qui Alex. Alenſis, Alberti M, D. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Antonini &c. Commentaria, nec non veterum Canoniſtarum Hoſtienſis, Ioannis Andreæ, Panormitani, Card. Zabarellæ, Felini &c. inſpicere voluerit, ubi manifeſtè deprehendetur, quòd D. Thomas, S. Antoninus, frequentiſſimè Alenſis, Alberti Magni &c. non ſolùm ſententias, ſed ampliſſimas quoque rationum, exemplorum, inſtantiarum, & Periodorum conſtructiones ita in ſua commentaria transtulerint, ut videri poſſet, quòd Poſteriores auctoritati Anteriorum potiùs, quàm gravitati motivorum innitantur. Id quod in commentariis veterum canoniſtarum adhuc frequentiùs ſuper diverſis lecturis in decretales, &

qui

quidem millies, & millies factum esse cuilibet legenti ad evidentiam patebit; quin tamen arguere inde liceat, illos theologiæ & Jurisprudentiæ Monarchas sine discussione rationum vestigiis præcisè Antecessorum inhæsisse, & sicut in volatu avis avem consequitur; ita Alensem â D. Thoma, & utrumque â S. Antonino pressum fuisse. Quapropter firma stare debet regula suprà assignata, communior, & communissima sententia: qualis censenda est promota à quinquaginta Doctoribus contrà sex, aut septem, tenenda est velut moraliter certa, vel ùt certò probabilior, & verior, nisi tot viri notoriè dicant malè, vel rationabiliter de falso convinci possint, ut colligitur ex traditis â Panormitano, Joane, Andrea, & aliis communiter in cap. *Capellanus* de feriis.

vera tamen manet in thesi doctrina Navarri, quòd opinio ad effectum præjudicandi alteri NB. ex eo solo non videatur appellanda *communis*, quòd eam plures velut oves aliæ alias sequantur &c. neque eam ex numero auctorum, sed ex pondere rationum communem æstimandam esse; nam verissimum id est, quandò, & quoties constat, opiniones complurium destituras esse rationibus, quoniam illis tunc meritò non attentis, altera opinio, 5. 6. vel septem assertorum manet unicè probabilis, & fit tali modo *communis* omnium Doctorum ex ductu rationum judicantium.

Ut autem rationem reddam, ex qua opiniones sex, aut septem patronorum con-

contrà turbam aliorum non ſine cautela, & periculo ſcandali, atque abuſus ſint communes appellandæ; in memoriam reducendum erit, quòd ſola Europa Chriſtiana centenas, & millenas numeret legiones litteratorum, qui cauſas quotidie dijudicant pro foro conſcientiæ; neque pauciores in Europa exiſtant homines docti, qui negotiis ſæcularibus, & juſtitiæ tribunalibus per regna, provincias, urbes, & oppida ita præeſſe debent, ne Dei, Reipublicæ, & Privatorum juribus ac cauſis detrimentum, ac præjudicium ullum inferant. Et cùm teſtantibus P. Cardena, Moja, & Tapia apud Lacroix fol. 16. n. 150. de probabilitate opinionum intrinſeca judicare non poſſint, niſi ſoli viri doctiſſimi, & in re morali verſatiſſimi; non autem mediocriter docti: ex altera verò parte ex millenis utriusque fori litteratis eſſe non ſoleant, niſi fortè pauciſſimi, qui in ſtudio morali exiſtant doctiſſimi, & in ſcriptis theologicis verſatiſſimi; hinc pronum eſt evenire, quod homines de illo genere litteraturæ, ad quorum officium ſtudium morale per ſe haud pertinet, vel quorum aliàs non eſt, niſi curta ſcientiarnm ſupellex, diverſa genera opinionum communium non diſtinguant, & ſic unum genus altero confundentes concludant, quòd opinio à ſex, vel ſeptem Doctoribus contra quinquaginta quoque propugnata æque ſit

mo-

moraliter certa, quàm illa, quæ communis eſt omnium; nam viris, qui ſunt quidem docti, ſed extrà chorum theologiæ, aut qui ſunt etiam theologi, ſed in vaſtiſſimis theologiæ armariis, & principiorum harmonia non ſatis verſati; omnes auctores hinc inde pro aliqua opinione allegati videri poſſunt graves, & eo ipſo, quòd contrà complures ſtent, ſupponi, ac præſumi valet, quòd rationes ſuarum opinionum ſingularium benè examinaverint, atque in conſpectu oppoſitarum ſubſiſtere repererint. Jam ſicut ingens eſt exercitus opinionum à 5. 6. vel 7. auctoribus adverſus communem ſuſtentarum; ita ejusmodi concluſiones, vel aſſertiones theologorum, ſi non ſint bene digeſtæ, generales natæ, & aptæ ſunt occalionem præbere ad graviſſimos, & frequentes abuſus. Nec juvat dicere, quòd aſſertores principii de opinione ſic communi ſuam doctrinam ſatis limitent, & ad certas conditiones, & circumſtantias reſtringant. Eſto enim hoc; ſed nunquid, ſi conſtat de regula, quòd opinio à ſex gravibus doctoribus contrà communem aliorum defendi ſolita aliquando poſſit cenſeri communis, & practicè tuta; hominibus forenſibus & cumulo negotiorum abſorptis licebit ſubſiſtentiam illarum conditionum præſumere? vel quis Judices forenſes, quis Confeſſores, Doctores unius libri (dum anguſtia temporis,

&

& mole negotiorum preſſi ſuper licentia cauſæ, & actionis ſubverſantis principia unde demumcunque adhuc practicè tuta quærunt) obligabit ad inquirendum? utrùm illi ſex Patroni, qui opinionem ſuo negotio faventem ſuſtinent, ſint Doctores omni exceptione majores, quòd utriusque partis momenta ritè examinaverint, vel utrùm ex contrariæ ſententiæ patronis unus alterum cæco modo ſecutus fuerit, nècne? Suppoſita enim regula, iſthæc à Doctore Pragmatico, & forenſi ſine aperta temeritate præſumuntur, idque tantò juſtiùs; quia, cùm nullibi prodiți, & deſignati reperiantur illi Scriptores, qui non cenſeantur graves, & omni exceptione majores, vel qui ſuas argumentis non expenſis opinionum merces vendere conſueverint; talis inquiſitor ſuper dotes ſcriptorum tempus innutiliter conſumeret, & plus non conſequeretur, quàm quòd vel omnes ſcriptores exiſtimare debeat graves, vel omnium propemodùm Doctorum auctoritatem in dubium vocare.

Et cùm vix ulla ſit in re morali ſententia, quæ à 6. Doctoribus contrà 50. vel amplius contradictores propugnata defactò in ſenſu Navarri mereatur dici communis; iſta thcologorum aſſertio in praxi rarum, vel nullum habet uſum; & ſimul apertum periculum abuſus. Nemo quidem eſt, qui neget, quod diligens operum moralium

Scru-

Scrutator, & assiduus theologorum lector veritatis studio intelligere demum velat: quo sensu hæc, & quo alia opinio asseratur *Communis*: at quando ipsi morum magistri regulas opponunt, quæ plus subtilitatis, quàm utilitatis habent, nullus mirari debet, si moderni Doctrinarum favorabilium Eclectici, & avidi opinionum probabilium Cimeliarchæ pro uuo bono usu talium assertionum centum committant abusus. Nequis tamen hunc abusus metum confictum existimet, vel vanum; cogitandum est, quòd maxima pars Practicorum tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium existimationi & præsumptioni de scientia, & experientia sua maximè consultum arbitretur, si in antecessum magna provisione, & apparatu principiorum favorabilium instructa sit, ex quorum thesauro cuivis de licentià causæ, & actionis suæ solicito, & consulenti ad gustum patrocinari, & responsum favoribile impertiri valuerit. Ex hominibus, quos cum sapientibus hujus sæculi negotia tractare vocatio compellit, pauci erunt, qui sæpiùs non viderint, aut audierint gloriantes, quòd ad justificandam causam, vel operationem propotsiam demum invenerint opinionem à nonnullis defensam: & cùm ex scholis adhuc, vel lectione theologi domestici, quem unum possident, & præ centum aliis æstiment, recordentur, quod 5. 6. vel 7. auctores pos-

sint

sint sententiam efficere communem, adeoque etiam tutam; hinc nullum sibi dubitandi locum relinqui, quin ipsorum intentio, & causa citrà omnem piaculi formidinem sit tutissima, & justitiæ patrocinio munita. Ita ut quinquaginta contrarium persuadere conantibus nulla fides amplius præstetur, sed continuò illud familiare ogge:atur: meus colendissimus P. Professor, quem unicè veneror, sæpius dixit; aut theologus meus domesticus omninò typis impressus habet, quòd tot auctores, quot meæ intentioni faventes inveni, faciant opinionem communem; quis igitur dubitet, quin eandem liceat tutò sequi, quidquid alii in contrarium dicant, quorum motiva examinare nec volo, nec teneor. Et hoc est, quod ad effectum ostendendi abusus opinionum communium tertii generis prolixiùs deducere operæ pretium esse duxi, effectus quo minùs lateat talium assertionum, quibus defactò nullus ampliùs esse poterit usus in praxi, sed tantùm locus in libris ad eruditionem scriptis.

§ XII.

Antequam autem huic de opinione communi discursui finis detur; dicendum adhuc restat: an? & quando usui esse possit ac utiliter debeat doctrina à paucis contrà plures sustineri solita. Recentiores illam doctrinam traditam acceperunt à Navarro,

&

& hic eandem ex priſcis SS. Canonum Commentariſtis Hoſtienſi. Joan. Andrea, Panorm. & aliis in ſuum manuale confeſſariorum transtulit. Et eam confeſſariis pro regula generali in omni lege, & materia laudavit, cùm tamen priſci illi interpretes eidem regulæ tunc maximè uſum eſſe voluerint, quandò leges civiles, & canonicæ, eorùmque diverſæ interpretationes ad cauſas particulares, & ad cauſas practicas ſunt applicandæ, & hi ex illis ſunt decidendi. Circà hanc applicationem legum ad decidenda dubia particularia, & practica frequentiſſimè evenit, quòd, quando 50. & plures interpretes, canones, & leges vel nimis generatim exponunt, vel in ordine ad nonnullos duntaxat caſus, & circumſtantias peculiares explicant; tunc unus, vel pauci Doctores hunc, vel illum caſum ſpeciatim cum iisdem ipſis circumſtantiis ex profeſſo tractantes facere cenſendi ſunt opinionem communem, quia iſtorum opinio pro tali caſu, de quo omnes alii altùm ſilent, ſolet eſſe unicè probabilis. Atque hinc eſt, quòd ſæpè unius Juriſconſulti in cauſis forenſibus verſatiſſimi v. gr. unius Cardinalis de Luca, unius Leurenii, unius Barboſæ, qui caſum occurrentem in iisdem, ùt ajunt, terminis terminantibus ad regulas juris diſcuſſum, & ita deciſum exhibent, prævaleat communi aliorum Canoniſtarum, quorum ingens

quidem eſt numerus, qui jus, & diſciplinam canonicam tradunt, & in cathedris explanant; ſed illam non aptant, nec digerunt ad caſus practicos pro diverſitate circumſtantiarum. Illis igitur Canoniſtis merè theoreticis, qui jus canonicum ab omni ſubjecto abſtractum, indigeſtùque mole tradunt; meritò præferendi in praxi ſunt inſignes, & expertiſſimi pragmatici Scriptores, qui quemvis juris titulum, & materiem non præciſè in abſtracto expoſuerunt; ſed eandem in ordine ad omnes circumſtantias, & eventus ſingulares per omnes partes, & reſpectus ita exhauſerunt, ut fermè nullus futurus ſit caſus practicè contingibilis, ad cujus expeditionen in ſpecie non præparatam relinquerunt doctrinam, & regulam ex SS. Canonum principiis ad hunc eventum prævièe firmatam. In hoc itaque diverſarum opinionum concurſu, quandò complures theoretici tradunt principia ſolùm generalia, ex quibus per probabilem diſcurſum, vel per ſortem illationum cauſa forenſis expediatur: econtrà verò à paucis aliis practicis hæc ipſiſſima cauſa alibi jam deducta, & ſic deciſa exhibetur; omnes ſine tergiverſatione admittent, opinionem paucorum quidem, ſed ad figuram facti adæquatam præferendam fore doctrinæ plurimorum quidem, ſed pro ratione, & exigentia circumſtantiarum neutiquam adaptatæ.

Fre-

Frequens eſt querela verſantium in praxi, quòd quandò ad effectum decidendi lites forenſes, aut expediendi negotia intricata complures ex modernis Canoniſtis conſulerint, rarò adæquatas pro occurrente facti ſpecie regulas invenerint; ſed ſuo proprio primùm Marte ex principiis generatim traditis concluſionem pro caſu, de quo agebatur, non ſine periculo, & formidine errandi eruere debuerint. E contrario verò, quoties pró expeditione oblatæ difficultatis recurſum habuerint ad auctores practicos, puta, Card. de Luca, Barboſa, Card. Tuſch. Leurenium, & conſimiles alios: reſolutionem jam in terminis cum reſpectu ad omnes circumſtantias expeditam, & præparatam, rationibus, & juribus ad oſtenſionem veritatis ita firmatam invenerint, ut ſuam priùs ex theoreticis præconceptam opinionem in comparatione hujus cum erubeſcentia falſam judicaverint. Unde evenire deprehenditur, quòd nonnulli puſilli Juris-Conſulti, qui omne ambiguum, quod ad eorum tribunal defertur, ex tripode unius exigui codicis dexterrimè pro utroque foro decidere norunt, non rarò ſcandalizentur, ſi easdem controverſias ad legitimum forum delatas aliter, ac ipſi pronuntiarunt, deciſas fuiſſe intelligant, qui à ſcandalis, vituperiis, & improperationibus ceſſaturi eſſent, ſi genuinas rationes decidendi non ignoraſſent.

Sunt, qui cujusdam oraculi effato multùm tribuendum putant, enuntiantis: *auctorem unius libri maximoperè esse timendum.* Verum id est in disputationibus scholasticis, & argutionibus ingenii aciti. Secùs res se habet in negotiis justitiæ, fidei, & conscientiæ, & ubi de ostensione veritatis, & de distribuendo cuique suum agitur. Non unam scripturæ partem, sed scripturas scrutari jussi sunt Judæi. Nam conscientiæ arbiter, justitiæ, ac rerum publicarum administer unius codicis habet se, sicut Medicus alia non adhibens medicamenta, nisi quibus suum pharmacopiolum domesticum abundat. Unde ad leniendas tusses quotidianas, ad pertinaciam catharrorum frangendam efficaces depromi valent medicinæ, sed ad curandos omnis generis morbos, & morborum infinitas species tale promptuariolum domesticum satis non erit.

Siquis accuratiorem notionem super discrimine Doctorum theoreticorum, & pragmaticorum, seu forensium desideret, illam optimè delineatam inveniet apud Josephum Antonium Bruni Professorem in Athenæo Taurinensi dissert. 5. de Jurisconsulto academico, & forensi, ubi inter alia statuit: quòd Jurisconsulti academici *leges deglutiant*; forenses verò easdem *masticent*, & quòd theorica à practica distet, sicut tactus à visu intellectuali, ac demum addit: Ego post longam legendi professionem, & post diligentissimam foro navatamoperam in ea sum sententia, quòd theorica sine praxi digestam, solidùmque juris cognitionem præstare nequeat: praxisque absque theorica maximè periculosa, & manea evadat, hinc vult, quòd cum longa legendi professione opera, & exercitatio practica consociandæ sit.

ANIMADVERSIO IV.

De opinione probabiliore, & minùs probabili in ſpecie.

§. XIII.

Cùm opinio poſſit eſſe probabilior ex rationibus æquè extrinſecis, quàm intrinſecis; idcircò P. Lacroix de conſcientia n. 134. probabiliorem intrinſecè dicit, „quæ „pro ſe habet meliores rationes, & extrin„ſecè talem nominat, quæ pro ſe habet „majorem auctoritatem. Quòdſi verò una „habeat rationes meliores, & altera majo„rem auctoritatem: tunc illa, inquit, eſt „ſimpliciter probabilior, quæ habet ratio„nes meliores, quia auctoritas fundatur „rationibus, nec auctores plus valent, quàm „valeant rationes, quas afferunt, vel quas „habere præſumuntur. Ubi clar. Auctor „ulteriùs ſubjungit: ſi opiniones ſint circà „revelata, illa eſt probabilior, pro qua „potiùs ſtare videtur revelatio. Si circà „res ſpectantes ad jus poſitivum, illa eſt „probabilior, cui magis favent leges, & „conſuetudo, quæ eſt optima legum inter„pres. Si circà mentem legislatorum, vel „circà intellectum legum, etiam natura„lium; plus tribuendum eſt antiquis, quàm „recentioribus, quia illi fuerunt auctoribus „legum magis vicini, & ab initio inter-

Stadtbibliothek Augsburg

„pretes earum. Si sint circà materias fidei, „& morum; plus tribuendum sanctioribus, „quàm aliis, quia illi à Deo & ampliùs il- „luminantur, & meliùs sciunt mystica dis- „cernere. Circà materias conscientiam at- „tingentes plus tribuendum theologis, „quàm juristis: circà materias juridicas „plus juristis, quàm theologis, quia cui- „que in sua arte, & professione magis est „fidendum, hucusque Lacroix.

„Castropalao hîc n. 7. Opinio probabilior „est, quæ firmiori, & efficaciori funda- „mento fulcitur. - - - Regulariter tamen „loquendo ea sententia probabilior est ju- „dicanda, quæ à pluribus defenditur, & „à doctioribus: ut dixit Philosophus; top. „Cap. 1. Probabiliora sunt, quæ videntur „omnibus, vel plurimis, vel sapientibus &c. quibus suffragantur Gonzalez dissert. 1. n. 27. de recto usu probabilium, & alii com- muniter. Ex quibus simul per se patet, quæ sit opinio minùs probabilis, ea videli- cet, quæ vel nititur minori auctoritate, vel rationibus fulcitur minùs firmis.

His sic præmissis pro illustratione Doctri- næ de opinionibus intrinsecè probabiliori- bus supponendum ex suprà allegatis est, quòd de probabilitate intrinseca judicare, & discernere alii non valeant, nisi viri do- ctissimi, & in re morali versatissimi, ita ut mediocriter docti, & in scientia morali mediocriter tantum versati sufficientes non

sint

ſint diſcernendi falſa à veris, quia illa ſæpè ſunt, & frequenter apparent veris ſimiliora. Difficultas hujus diſcernentiæ ex eo creſcit, & patet, quia vis humanæ perſpicaciæ, & facultas diſcretiva ad interiora ſtatûs objectivi penetrare neſcit; ſed de illo ex conjecturis extrinſecis, aut ex proportione, & æquiparatione cum aliis rebus magis affinibus judicium ſibi format; hinc, niſi intellectus ſit perſpicaciſſimus, & multa exercitatione quoad omnia pericula errandi factus expertiſſimus, & maximè circumſpectus, facile fiet, & quotidie fieri videmus, quòd unus Doctor rationes, quæ aliis non videntur, niſi leviſſimæ, reputet graves, vel omninò graviſſimas; & vice verſa alii auctores cenſeant alia motiva maximè ponderoſa, & approbatione digniſſima, quæ tamen à pluribus aliorum inter levia, & nullius ferè attentionis digna rejiciantur, nam quivis Doctorum aliam, & aliam habet ſtateram, quibus pondera motivorum æſtimantur. Hinc proficiſcuntur tam inæquales, & ſæpè iniquiſſimæ taxationes rationum, quibus ſinguli opiniones ſuas, velut mater proles ſuas præ cunctis aliorum approbare, & cæco approbationis ſuffragio veras cenſere ſolent. Siquis pondera rationum attenderit, ex quibus aſſertores ſuarum quivis opinionum æſtimationem intrinſecam ſuis mercibus conciliare niituntur; iſta reſpectu diverſorum intel-

lectuum se habere videntur; sicut quarumdem pretia rerum, quæ pro *diversitate affectionis*, & gustûs à nonnullis plûrimi, & ab aliis econtrà parvi æstimantur. Fuerit proin aliquandò Advocatus causarum forensium, qui justitiam suarum causarum rationibus non minùs infirmis, & ad speciem veri coloratis, quàm efficacibus, & solidis justificare solebat ea ratione ad id inductus, quia ab experientia convictum se credidit, non deesse in judiciis, apud quos ad persuadendum justum, & verum plus ponderis habeant rationes solùm apparentes, quàm reverà solidæ, & efficaces, de cujus asserti veritate quotidiana se offerunt experimenta. Infinitæ occurrunt in libris scientiæ moralis opiniones de rebus etiam maximi momenti, ex quibus una Schola, vel una pars Doctorum hanc: & alia Schola, aut Doctorum pars oppositam ita tuentur, & postquam milleni, & milleni à sæculis per universum orbem Catholicum theologi tam unius, quàm alterius opinionis fundamenta intrinseca exanimaverint, libraverint, discusserint, & millies exploraverint; plus tamen tanti temporis investigatione effectum haud fuerit, quàm quòd suis utriusque opinionis assertoribus rationes videantur meliores, & quælibet secta auctorum maneat addicta suis præconceptis sententiis, quin spes ulla affulgeat, quòd una pars alteri certa victoria, & verita-

ritatis luce prævaleat. Et unde hæc perpetua discrepantia opinionum, & opinantium, nisi ex diversitate statterarum intellectualium, quibus cuivis rationi intrinsecæ suus determinetur gradus probandi, & pretium definiatur motivorum, ex quibus intellectus prudenter huic, vel illi assertioni assensum præbere, vel non præbere debeat.

Sed quorsùm ista disputantur, quæ tamen vulgo nota, ac explorata sunt, si fortè rescire cupias? ajo, ne stateris nostris, & alienis tam fallacibus plusquàm oportet, fidatur, ne in Israel, & in disciplina morum tam faciles fiant deceptiones tot opinamentis ad stateram Sanctuarii non justificatis. Admiramur enim Doctores non minùs academicos, quàm forenses, qui opinionibus genio, inclinationi, intentioni personæ gratæ, & gratificandæ favorabilibus ex rationibus multo studio procreatis, & excultis ita addicti sunt, & earum veritatem aliis persuadere ita satagunt; ut fundamentis contrarium evincentibus, & communi aliorum calculo approbatis nullus amplius relinquatur locus attentionis, & id quidem, quia fallaces sunt filii hominum in stateris suis.

§. XIV.

Alteri hîc reflexioni locus aperitur, quæ prioris animadversionis disputationem com-

mendabilem, & uſu non vacuam reddere poſſit. Theologia moralis maxima ex parte in verbo divino ſcripto traditóque fundatur. Præcepta Decalogi, virtutes theologicæ, & morales cum vitiis oppoſitis, materia Sacramentorum, leges juſtitiæ, obligationes votorum, juramentorum, & omnium univerſim contractuum principiis innituntur non minùs revelatis, quàm naturalibus, ita ut cognitio obligationum inde deſcendentium maximam, potiſſimámque conſtituat partem ſcientiæ moralis. Jam in iſtis, quæ ſunt revelata, aut in revelatis fundantur, ſubintrat regula ſuprà ex P. Lacroix inſinuata: „Si opiniones ſint „circà revelata; *illa probabilior eſt, pro qua „potiùs ſtare videtur revelatio:* Si circà men„tem legislatorum, vel circà intellectum „legum etiam naturalium plus tribuendum „eſt antiquis, quàm recentioribus, quia „illi fuerunt auctoribus legum magis vici„ni, & interpretes earum fuerunt ab ini„tio. Circà materias fidei, & morum plus „tribuendum eſt ſanctioribus, quàm aliis, „quia illi à Deo amplius illuminantur, & „myſtica meliùs diſcernere ſciunt.

Attentis iſtis principiis, quemadmodùm nullum ſupereſt dubium, quin illa opinio ſit probabilior, pro qua potiùs ſtare videatur revelatio; ſed agitur de ulteriori regula, ex qua tum ipſa exiſtentia revelationis, cùm ejusdem ſenſus, & ex-

tenſio ad hunc, vel illum caſum dubium prudenter deſumatur? Profectò, ſi deciſio omnium dubiorum, quæ hominibus jugum obligationum non certarum recuſantibus exinde ſuboriri poſſunt, cujusvis judicio ex rationibus ſibi viſis procedentis committitur; ecquis à judice in propria cauſa, atque ex meritis acumine ingenii ſui ad gradum veriſimilitudinis promotis judicante juſtum judicium exſpectabit? vel regulariter tantùm ſperet? qua de cauſa in decidendis præfatis dubiis de facili recedendum non eſt ab ulteriori regula ſuprà oppoſita: circa materias fidei, & morum plus tribuendum eſt virorum ſententiis ſanctiorum, quàm aliis, aut etiam propriæ prudentiæ. Etſi in doctrinis Sanctorum deficiat judicandi regula, adhærendum erit communiori theologorum opinioni, niſi ratio manifeſta, & judicio publico ſatis habens inventa receſſum juſtificet. Ratio ita ſentiendi eſt, quia in rebus tam morum, quàm fidei ſenſus, & conſenſus Doctorum communior magis accedit ad naturam traditionis, quàm conſenſio paucorum.

Prætereà, ſi agitur, de voluntate divina præceptiva, utrùm ad hunc, vel illum caſum in particulari ſe extendat, aut de ſenſu legis divinæ prohibitivæ intelligendo plures intellectus cæteris paribus magis cenſentur illuſtrati, & ductu ſuperni luminis ita ſenſiſſe, quàm pauciores, eòquod com-

communior SS. Patrum, vel Theologorum Catholiçorum expoſitio revelatorum ſicut in definiendis fidei veritatibus; ita in determinandis agendi obligationibus, & præceptis divinis ſemper plurimum habuit auctoritatis, & quaſi pro organo, & interprete Spiritûs Sancti communior pars theologorum reputata fuit. Communis enim ſenſus, vel conſenſus communior eſt optima legum divinarum, & naturalium interpres.

Verum quidem eſt, poteſt opinio minùs inter auctores communis revera eſſe ex rationibus intrinſecis probabilior, quandò nempe rationes ejusdem ſunt fortiores, & magis convincentes illis, quæ eidem adverſantur, at quo judicio decretorio, aut quo oraculo authentico conſtat, rationes intrinſecas à paucioribus agnitas potiores eſſe illîs, quibus à pluribus major vis probandi tribuitur; nam pondera, & merita rationum, quæ in plurium ſtateris prævalent oppoſitis, tamdiù plus æſtimanda ſunt, donec de iniquitate ſtaterarum per authenticum rectificationis judicium conſtiterit, quòdſi enim doctrina, quæ ex conditione ſua intrinſeca à vero magis recedere deprehenditur, in praxi, & inter doctores prædominari agnoſcitur, ad rectores Eccleſiæ pertinebit, eandem de throno Dominatûs ſui dejicere, & in ordinem, qui ex meritis intrinſecis debetur, redigere, ne

ejus-

ejusdem prævalens usus in detrimentum disciplinæ christianæ cedere pergat.

§. XV.

Ex dictis hucusque de opinione probabiliore generatim difficile non erit judicium discernendi opinionem *certò probabiliorem à probabiliter* tantùm probabiliori; nam ex relatis consequitur, quòd sententia, quam omnes, aut ferè omnes Theologi, & Magistri morum asserunt, & concedunt esse probabiliorem, aut communiorem, & veriorem; illa meritò dicenda erit certò probabilior probabilitate extrinseca absoluta, & intrinseca etiam præsumptiva; donec de contrario legitimè constet: idem censendum est de sententia, cujus oppositam omnes, aut ferè omnes tantum defendunt *ut minùs probabilem, & minùs communem.* quandò verò una auctorum hanc: & alia æqualis, aut ferè æqualis pars scriptorum, & moralistarum oppositam dicit probabiliorem; tunc neutra potest dici *certò*, sed tantùm probabiliter probabilior, quia multitudo testantium de majore probabilitate contrà æque multos contrarium asserentes non efficit certitudinem, sed probabilitatem tantùm, ùt ex principiis obviàm notis manifestum est.

ANI-

ANIMADVERSIO V.

De recto usu opinionum minùs probabilium, & minùs tutarum.

§. XVI.

Inter controversias moderno ævo agitari solitas vix celebrior est illâ, quæ de recto usu opinionum minùs probabilium, & minùs tutarum duplicis sectæ Theologos exercet. Actum ageret, & tempus refe-
rendis in vulgus notis perderet, siquis elogia, aut improperia adducere vellet, quibus una cohors alterius partis phalangibus maledicere, atque una alterius doctrinam traducere solet; quin sive una, sive altera pars reverà sciat, quid justè reprehendatur, quidve meritò approbetur. Nimium recentiora, & omnium manibus nimis trita sunt, quàm ut ignorari possint illa scripta, quibus doctrina Probabilissimi nudius primùm tertius ùt damnabilis, scandalosa, & in praxi pernicioſa fuit traducta, ac diris devota. Quorum temeritatem ùt justè castigaret, surrexit quidam Magnificus scientiæ moralis conductor, qui in suis anno superiore editis thesibus auctoritate prætoriâ ità pronuntiat: „Probabilismus, si „ritè, & sine præjudiciis inspiciatur, est „reverà *sententia prudens*, *innocens*, *ac utilis*, „quidquid obganniant rigorosistæ quidam,

theo-

„theoreticè quandoque culicem excolan-
„tes: practicè verò per ſuas calumnias, &
„injuriarum plauſtra in Probabil.ſmi defen-
„ſores cum Acatholicorum ſcandalo, &
„chriſtianæ charitatis læſione congeſta ca-
„melum glutientes: nos hæc quatuor pa-
„radoxa defendimus, videlicet I. uſum
„probabilismi eſſe *maximè tutum*, II. uſum
„probabiliorismi eſſe *maximè periculoſum*: III.
„Probabilismum germaniſſimum *in rigoris-*
„*mum debere excurrere*, *& ſimnl laxismum in-*
„*ducere.* Si minùs verè iſthæc, certè ſunt
magnificè jactata. Cæterùm ſi ita eſt cau-
ſa hominis chriſtiani cum Probabilismo, ſi
uſus probabilismi *eſt maximè tutus*: & uſus
probabiliorismi *maximè pernicioſus*; Si Pro-
babiliorismus germaniſſimus in laxismum
degenerare *maximè poteſt*: & probabilioris-
mus germaniſſimus *in rigorismum excurrere*
debet; non expetit, imò non licet vel do-
cere, vel ſectari probabiliorismum, utpo-
te *maximè pernicioſum*, & minimè tutum.

Verè paradoxa hæc eſſe nemo eſt, qui
non agnoſcit. Qua autem approbationis
cenſura illa ſint digna, aliorum relinquitur
judicio: illud tantùm in tranſitu adverto,
ſi probabilismus eſt maximè tutus; cur
nulla virorum etiam religioſorum tribus
partum hunc ùt ſuum agnoſcere vult, ſed
ejusdem paternitatem ſoli Medinæ, vel ne-
ſcio quibus incertis majoribus adſcribere
laborant. Tametſi doctrina aliqua à ſua na-

tivi-

tivitate non ſit mea, ſi tamen bona, ſi utilis, & legitima, quid erubeſcam eandem ab aliis repudiatam, & ejectam titulo adoptionis, & receptionis meam agnoſcere? Dein ſi iſtis Paradoxiſtis credimus: antiprobabilismus eſt maximè pernicioſus; quid ergò dicemus de tot fratribus noſtris, qui antiprobabilismum germaniſſimum docuerunt, ampliſſimis tomis publici eum juris fecerunt, & ſine pœnitentia in illa ſecta antiprobabiliſtarum obierunt? Ergò perierunt? quia pernicioſam doctrinam diſſeminarunt? abſit. Ergò antiprobabilismus germaniſſimus non debet dici pernicioſus, niſi velimus calumniari. At neque probabilismus ab ejus adverſariis ita traduci debet: ita eſt, rectè ais, in hoc laudo vos, Paradoxiſtæ, & omnis bene ſentiens dicet Amen. Sed bonus aſceta; & vir potiùs religioſus; quàm diſcipulus Phariſæorum, non debet ipſe committere, quod jure reprehenditur in aliis, quis enim de ſpiritibus bonis dixit nobis; quòd Gonzalecii, quòd Raſsleri? quòd Mayreri (ut paucos mihi magis notos, & familiares honoris cauſa nominem) quòd innumeri alii, qui probabiliorismum, vel antiprobabilismum germaniſſimum docuerunt, doctrinam pernicioſam, & minimè tutam tradiderint?

§. XVII.

Ut autem, quid miſſis iſtis præliis non mi-

minùs offenſivis, quàm defenſivis, de uſu opinionum probabilium ſentiam, propiùs jam aperiam; candidè fateor, quòd lectis, & diutiſſimè expenſis utriusque partis ſcriptis, & rationum momentis ſemper judicaverim, utrumque tam probabilismum, quàm probabiliorismum germanismum *uſum habere bonum*, & utrumque ſimul habere poſſe *uſum malum*, prout quivis in ſuis circumſtantiis, & tempore ſuo adhibetur: In nullo tamen ſcriptore mihi noto quæſtionem juxtà intentionem meam ex profeſſo tractatam inveneram, donec eandem á Clariſſimo P. Chriſtophoro Raſsler diſput. 3. in Norma Recti q. 9. art. 26. pro dignitate meriti nonnihil plus diſcuſſam repererim, ubi quæſtionem movet, & examinat: an licentia ſequendi in praxi opiniones æqualiter probabiles relictis probabilioribus reſtringenda ſit ad caſus, quibus difficile in praxi foret inter æqualiter probabiles ſequi tutiores, quæ quæſtio uberiùs ſic inſtitui meretur: utrùm licentia ſequendi minùs probabilium opinionum uſum reſtringi debeat ad caſum, quo uſus probabiliorum in praxi evaderet difficilis? Eſt quæſtio hæc pro praxi tanti momenti, ut, nì primo loco examinari ea debuiſſet, ſaltem ejusdem diſcuſſionem omittere non oportuiſſet. Ut verò ad eam illuſtrandam magis ordinatè procedatur, ſit

ANIMADVERSIO VI.

Usus probabilismi est licitus, tutus, & utilis in casibus necessitatis.

§. XVIII.

Non solùm probabilistæ, sed germani quoque antiprobabilistæ, aut probabiliorioristæ universim admittunt, quòd liceat sequi opinionem speculativè minùs probabilem, & de se minùs tutam in casibus necessitatis; quando nempè non datur potestas, vel facultas procedendi secundùm tutiorem, & probabiliorem sententiam. Ratio est manifesta; quia necessitas juxtà tritum non habet legem, & multa facit licita, quæ cæteroquin certò sunt illicita; exceptis siquidem illis, quæ sunt adeò intrinsecè mala, ut pro nullo casu cohonestari queant; pauca erunt, quæ necessitas non potest facere licita.

Medicus potest in necessitate, quando usus, & copia deest medicamenti de se magis proficui, uti medicinis probabiliùs non ita profuturis. Minister Sacramentorum, & quidem maximè necessarii, Baptismi videlicet, potest, ac debet in necessitate infanti moribundo succurrere Baptismo quomodocunque probabili etiam tenuiter tali; & sic etiam confessarius homini moribundo absolutionem impertiri potest

sub

ſub quacunque probabilitate diſpoſitionis, ſi circumſtantiæ uſum tutiorum non admittunt. Extrema neceſſitas tribuit ſic indigenti jus, quod extrà talem neceſſitatem nec probabiliter habuit; & tollit ſimul in altero jus aliàs certum, ita ut extremè indigenti liceat ſine delicto furti ſurripere neceſſaria, ùt communis tenet cum Lacroix l. 3. p. 1. n. 950.

Ratio hujus doctrinæ à priori pariter aperta eſt, quia, quandò tutioris nulla datur copia, vel uſus; illud *non relinquitur*. controverſia autem ſolùm in eo conſiſtit: an liceat ſequi opiniones minùs probabiles, & minùs tutas, *relictis* probabilioribus, & *tutioribus*. Ubi enim fatalis neceſſitas nullum, niſi unicum medium reliquum facit, nullum *tutius* tunc relinquitur, ſed ſuperſtes pro tali caſu evaſerat unicè tutum. Accedit alia ratio, quòd, quamvis ſententia aliqua ſpeculativè ſumpta ſit in ſe, & maneat à parte rei minùs probabilis; neceſſitas tamen, & adjuncta extrinſeca reddunt uſum ejusdem pro caſu particulari probabiliùs, vel certò approbabilem, vel ùt alii loquuntur theologi; neceſſitas, & cauſæ extrinſecè hîc, & nunc concurrentes augent vim probabilitatis, & promovent illam ad gradum probabilioritatis practicæ pro caſu urgentis neceſſitatis. (C.)

(C.) Cardenas ad propoſit. III. ab Innocentio XI. damnatam: an liceat ſequi opinionem tenuiter pro-

babilem? Cap. 7. n. 48. inter alia ita scribit: in I. part. cris. theol. disp. 9. cap. 8. n. 133. retuli opinionem docentem: in extrema, aut gravissima necessitate licitum esse uti opinione tenuiter probabili..... quæritur ergò in præsenti: an hæc propositio (quòd in gravissima necessitate eligere possimus opinionem tenuiter probabilem) subeat hanc damnationem? Et ut ibidem notavi, atque Emanuel de Figuera (me citato) asseruit: hanc opinionem minimè subjacere huic damnationi, idem ab eodem innuitur. n. 377. & 619. atque alias sæpiùs supponitur.

P. Lacroix ad rem ita disserit. l. 1. n. 366. fol. 46. dixi per se loquendo, nam in gravissima necessitate, & quandò opinio tutior non posset reduci in praxim, licitum esset operari secundùm opinionem tenuiter probabilem, neque hoc ab Innocentio XI. damnatur, ùt rectè notat Cardenas, quia necessitas gravissima quodammodò *auget probabilitatem*, facit enim, ut omissio operationis sit moraliter impossibilis, ergò *pro eo casu* opinio fit sufficienter probabilis ad tollendum dubium practicum.

P. Jacobus Corella Capucinus tr. 10. Explic. prop. damnat. n. 28. fol. mihi 329. sic loquitur: in casu alicujus necessitatis urgentis possumus uti opinione, licet ejus probabilitas sit tenuis. Ita ex Sanchez, Soto, & aliis tradit Torrecilla. & sic potest moribundo absolutio dari, qui in confessarii absentia signum doloris dedit, potest etiam dari absolutio moribundo sub conditione, qui Christianè vixerit, licet non dederit aliquod doloris signum, uti docent Homo bonus, & alii 16. Doctores citati à Diana.

Huic doctrinæ utriusque partis Patroni ita suffragantur, & rationibus ita luculentis evincitur, ut superfluum existeret eandem pluribus confirmare.

Corol-

Corollarium, quod istam assertionem extrà dubium positam consequitur, inter alia etiam illud est, quòd exempla scripturæ, & Summorum Pontificum cum arctatis summa necessitate dispensantium nullam in favorem probabilismi specialiter non restricti probationem inferant. Esto enim, quòd viri pii, & timorati etiam Summi Pontifices arctissimis necessitatis angustiis concluſi aliquid egerint, vel agendum permiserint, ex eo nullum prorsùs duci poterit argumentum adæquatum, & concludens pro licito usu probabilium extrà casus ejusmodi necessitatum. (D.)

(D.) Ita est, Machabæi in die festo contrà hostes aggressores pugnarunt: Antiocheni tempore Juliani, ne fame perirent, Idolothytis vescebantur, ùt dicit Gravina apud P. Biner p. 10. art 2. n. 265. Sed exinde usus licitus probabilismi extrà casus necessitatis concludenter non evincitur; nam ùt argumentum vim probandi obtineret, constare priùs deberet, quòd eo tempore in necessitate, qua Antiocheni premebantur, etiam extrema, secundùm opinionem tunc receptam ùt probabiliorem non liceret Idolothytis vesci; cum tamen extrà dubium videatur certum, quòd illis extrà ejusmodi necessitatem neque probabiliter licitum fuerit vesci. David cum suis se panibus refecit propositionis, dispensante in lege prohibitionis necessitate; quis tamen exinde arguet, id generatim omnibus extrà casum necessitatis ex probabili opinione tunc vigente licitum fuisse. Protoparentibus nostris esus de ligno scientiæ boni, & mali in Paradiso sub pœna mortis interdictus erat, si tamen de illo non co-

comediſſent, niſi extrema, ne fame perirent, neceſſitate coacti; unde conſtat, eosdem non ex probabilitate alicujus opinionis, ſed potius ex tanta arctitudine neceſſitatis impunitatem meritos fuiſse.

Lubentiſſimè conceſſero, Summos Pontifices in caſibus extraordinariis, & ex urgentiſſimis cauſis hinc inde diſpenſaſſe inſiſtendo opinionibus vix verè probabilibus; ſed ſi Probabilismus eſt maximè tutus, ſi eſt adeò utilis, cur Pontifices in ſimilibus caſibus, & impedimentis matrimonii probabiliùs jure naturæ dirimentibus non diſpenſant ſæpiùs, & cum pluribus? Nunquid dura lex neceſſitatis poteſt, ac ſolet facere opinionem tenuiter probabilem maximè tutam, & uſum ejus maxime utilem? Sed propterea uſus veri, & germanismi Probabilismi reſpectu tenuis probabilismi non ſit maximè perniciosus.

P. Cardenas n. 619. admittit, quòd etiam Sacramenta poſſint adminiſtrari ex opinione probabili, ſi accedat circumſtantia ab extrinſeco, quæ praxim, & uſum talis opinionis à probabilitate transferat ad certitudinem, quod principium iſte auctor alibi ſæpius repetit, aut ſupponit. Ex quò fit, quòd uſus probabilismi poſſit eſſe maximè tutus, & ſummè utilis etiam in adminiſtrandis Sacramentis in caſibus neceſſitatis; at non quia talis operatio pro fundamento licentiæ meram habet opinionis probabilitatem; ſed quia circumſtantia ſuperveniens hic & nunc neceſſitatis uſum opinionis ſublevat de ſtatu infirmitatis ſuæ, & collocat eum inter uſus opinionum practicè certarum.

ANIMADVERSIO VII.

Salus, & emolumentum ſpirituale proximi, & proprium poteſt facere uſum probabiliſmi tutum, & utilem.

§. XIX.

Deſcendit hæc aſſertio ex principiis prioris animadverſionis. Nam, ſicut neceſſitas poteſt excludere copiam, & poteſtatem agendi juxtà regulas de ſe tutiores, vel probabiliores: ita contingere quoque poterit, quòd alius modus juvandi animas non ſuperſit, niſi uſus opinionis alicujus certò minùs, & forſan tantùm probabiliter, vel tenuiter probabilis; quia in defectu aliorum uſus medii quacunque probabilitate profuturi in tali caſu fit unicè tutus. Argumentum, & ſenſum Doctrinæ Auctores illuſtrant exemplo medici, qui licitè utitur medicinâ utcunque probabiliter profuturâ, ſi ſalubrior vel haberi non poteſt, vel ſi ſtomachus infirmi uſum melioris medicinæ reſpuit, & admittere non ſolet, quia in tali caſu ſalus infirmorum mediis curanda eſt quibuscunque poſſibilibus, cùm impoſſibilium nullus detur uſus, neque electio. Ex hoc principio ſuſtinetur, quòd confeſſarii pœnitentes laborantes ignorantia invincibili circà obligationes legum humanarum, divinarum, aut etiam

naturalium, quatenus illa de his dari poteſt, in bona fide relinquere poſſint, ſi ſciunt, & certò provident, quòd admonitio, & inſtructio alium non ſit habitura effectum, niſi quòd ex transgreſſore materiali facerent formalem. Idem concedi-tur quoad conjuges putatitios de nullitate ſui matrimonii in bona fide exiſtentes; ratio eſt, quia in caſibus, ubi conditiò ſic ignorantium nullam ex admonitione ſpem fructûs probabilem, ſed potius certitudinem ruinæ ſpiritualis relinquit, uſus, & conſervatio ignorantiæ invincibilis fit unica tabula ſalutis, extra quam in tali hypotheſi nullum aliud reliquum eſt remedium juvandi. Majus jus civitatis igitur meretur dictum principium, quandò ſalus ſive propria, ſive proximi procurari adhuc poteſt uſu opinionis probabilis; cùm illa ex una parte faciliùs bonam fidem juſtificet, atque ex altera parte major affulgens ſpes, & probabilior promotio ſalutis, ac evitatio periculi fortè manifeſti praxim talis probabilitatis æquipollere faciant uſui moraliter certarum. Exem la, & caſus, quibus iſta doctrina uſui eſſe utiliter valet, ſunt familiares, & obviè noti. Converſio infidelium in India ſi v. g. ſperari, & promoveri haud poſſit, niſi permittantur eis ritus nimiùm aſſueti, & uxores bene viſæ non obſtantibus impedimentis juris divini, & naturalis; in

hoc casu cura salutis reddit usum opinionis quomodocunque probabilis maximè tutum, & maximè utilem, utpote à quo ex dispositione infidelium dependet eorum salus; quandò ergò summi Pontifices Exemplo Urbani VIII. cum Indianis ad effectum contrahendi matrimonium vel persistendi in contracto ex opinionibus tantùm probabilibus in impedimentis juris naturalis, & divini dispensarunt, vel sic dispensandi facultatem Missionariis concesserunt, nullum exinde duci potest concludens argumentum, quòd earundem opinionum usus extrà ejusmodi situm, & œconomiam circumstantiarum sit in praxi maximè tutus, & maximè utilis Reipublicæ Christianæ.

Quoties ex usu probabilis sententiæ dependet principis cum toto regno conversio ad religionem orthodoxam, & salvificam; vel si ex contrario usu timeretur, eversio Religionis, ac extinctio fidei in principe, & in subditis, adeoque quandò Apostolica sedes salutem, & incolumitatem magni populi in tali situatione constitutam intueretur, & ad præcavendum tantum detrimentum nullius opinionis probabilis, & favorabilis usum intentatum relinqueret; atque sic omnia media etiam extraordinaria, & extrema exhauriret; aliud non fieret, quàm quòd summa necessitas exigit, & cura salutis justificat. Verùm ex casibus ita extraordinariis, & ex usu opinio-

num quomodocunque probabilium in tali rerum anguſtia licito nemo ſanus concludet, quòd ceſſantibus iſtis circumſtantiis earundem opinionum probabilium ſequela maneat adhuc pariter licita, & ſimul ſit maximè tuta (E.) non deſunt homines, & hominum conditiones, in quibus uſus probabilium medicinæ inſtar tempore opportuno ſumendæ ad promovendum negotium ſalutis conducibilior eſſe poteſt, quàm major rigor. Diverſa tempora, & diverſa capita hominum infæcunda non ſunt circumſtantiis, & rerum eventibus, in quibus prudens, & expertus animarum medicus uſum probabilismi negligere nec poteſt, nec debet, quia ad modum medicamenti utilis eſt in neceſſitate, ſed niſi id poſtulet neceſſitas, vel ratio ſalutem unicè, & melius curandi juſtificet, remedia ex hac officina probabilismi non præſcribantur, niſi quando ſaltem generatim gravis, & urgens cauſa (nì urgentiſſima) aliud exigat.

(E.) Naaman Syrus comitari conſuevit regem ſuum euntem in templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum ejus, & adorante ſimul adorare videri poterat, dixit ad Prophetam Eliſæum, ut Deum ſuper hoc deprecaretur, dicens, ut ignoſcat ſibi Dominus hoc factum. Ecce! Propheta eum in pace abire jubet. 4. Reg. 5. jam quæcunque ratio factum iſtud à ſpecie idolatriæ excuſaverat; certum manet, idem extrà caſum hujus neceſſitatis licitum non fuiſſe.

ANI-

ANIMADVERSIO VIII.

Gravis difficultas, & magnum incommodum executioni opinionis magis probabilis extrinsecè supervenientia possunt reddere usum opinionis minùs probabilis permissum.

§. XX.

Cùm observantia cujusvis legis sua non careat difficultate intrinseca, præmonendum hîc est, quòd in ista observatione sermo non sit de difficultate observantiæ legum innata, sed de illis difficultatibus, incommodis, & molestiis, quæ executioni legum, & impletioni obligationum peculiariter ab extrinseco accedere possunt. Sic in exemplo, restitutio fructuum beneficialium ob horas canonicas omissas per se nulli non gravis est; attamen gravior esse solet beneficiato non diviti, quàm multùm locupleti. Repetitio Psalmorum, quos obligatus ad horas canonicas plenè, & voluntariè distractus dixerat, homini cæteroquin otioso minùs difficilis accidere debet, quàm multis negotiis undique oneratæ personæ. Incontinenti ex hac incontinentiæ circumstantia voto extrinseca difficiliùs est votum non usque adeo certum servare; quàm homini frigido, & ad incon-

continentiam minùs inclinato, & sic per complures alios casus res exsplicari potest.

Sciendum prætereà est, quòd non intelligatur qualiscunque difficultas extrinseca, v. g. levis, conficta, merè præsumpta, vel non verè gravis; sed talis, quæ rationabili hominum timoratorum judicio absolutè, & respectivè ad naturam legis, & obligationis existimatur reverâ gravis, ita ut sufficeret superiori ad dispensandum in lege certa: & sicut ponderosiora requiruntur motiva ad dispensandum in lege naturali, & divina, quàm in humana; ita insistendo huic systemati graviores adesse deberet difficultates, & incommoda ad utendum opinione probabili contrà legem divinam, & naturalem, quàm contrà humanam; quia quo altioris ordinis est vinculum obligationis, & sublimior Majestas obligantis, tantò graviores debent esse rationes, ex quibus bona fides, & ignorantia invincibilis probabiles transgressores non efficiantur prævaricatores, nisi merè materiales.

Cæterùm, dum defectus temporis, & arctitudo ingenii non permittit, præmissæ de incommodo, & difficultate usum probabilismi justificante assertioni exactos fines præscribere; & eandem sub omni respectu à periculo contradictionis immunem præstare; intentioni præsenti satisfactum abunde erit, id si effectum, vel occasio præ-

præbita aliis fuerit, ut istam summi momenti thesim deinceps exactiùs discutiant, atque prætereà palàm factum fuerit, quòd, tametsi gravis causa, magna difficultas, aut incommoda non vulgaria usum doctrinæ minùs probabilis utilem, & tutum efficiant, nulla exinde duci valeat legitima conclusio pro licentia probabilismi extrà casus singularis difficultatis, incommodi, vel jacturæ. Irrelevantia argumenti patet ab exemplis. Certum est, quòd lex audiendi diebus festis sacrum non obliget sub gravi difficultate, & incommodo itineris, tempestatis, valetudinis, vel cum gravi damno, aut periculo jacturæ temporalis. Item licitum est diebus festis ex urgente causa opera servilia obire. Eadem quoque est ratio in jejunio, in abstinentia à carne, in horis canonicis, aliisque præceptorum obligationibus, à quorum observantia licet gravis causa dispenset, exinde tamen inferri non potest, quòd earundem legum non observantia sine talibus causis sit licita, aut maximè tuta. Usus potestatis dispensandi in omni lege humana, divina, aut naturali de se dispensabili in circumstantiis, & ex causis justis est maximè utilis, & licitus, quin cessante causa legitima maneat ampliùs licitus. Aliud proin est, quòd subsistentia gravium, & talium rationum, quæ ad effectum dispensandi in lege certa sufficiunt, usum, & executionem pro-

probabilismi, seu non observantiam legis non adeò certæ licitam reddat, & aliud iterùm est: utrùm idem usus probabilismi pariter ita licitus, & maximè tutus maneat nulla in casu particulari subsistente vel necessitate, vel alia justa causa extrinseca? priùs etiam antiprobabilistæ faciliùs indulgebunt: de licentia autem posterioris nemo facile fidejubere audebit.

In nonnullum testimonium hujus doctrinæ placeat interim verba audire doctissimi Bartholomæi Mastrii disp. 1. theol. moral. de conscientia q. 3 n. 56. & 57. In aliis verò dubiis, in quibus non est adeò urgens necessitas, satis probabile est, nec etiam tam arctam intercedere obligationem ad tutiorem partem amplectendam, præsertim si grave aliquod incommodum indè sequatur v. gr. qui de natalibus suis dubitat, an legitimus sit, vel illegitimus non tenetur semper sequi partem rigidiorem, & tutiorem, sed adhuc mitiorem, & magis favorabilem sequi potest, dummodò probabilis sit, & tuta, ita tenent Navarrus, Sylvester, Panormitanus, Aversa, Abellius, & alii Doctores, qui etiam id deducunt ex eodem cap. cit. Ad audientiam, & cap significatti, ubi maximè regula illa approbatur, in dubiis tutior pars est eligenda, ibi enim quamvis jusserit pontifex dubitantem de homicidio ab Altaris Ministerio abstinere ob Sacramenti decentiam, & reverentiam; non tamen jussit beneficiis ecclesiasticis expoliari; erat enim notabile detrimentum, quod noluit pontifex ob solum dubium injungere. ... Notanter autem dixi, si stante dubio, & facta diligentia, quæ tunc fieri potest, appareat notabile detrimentum in eo, qui tutiorem partem sequeretur, non esse hunc in tali casu obligandum; quia

si

secontra ſtante dubio juris, vel facti poteſt quis absque *magno incommodo*, & *notabili detrimento ſequi tutiorem partem*, puto cum Averſa loc. cit. & cum communi ſententia, in *tali caſu verè ad id teneri*, & in hoc ſenſu pluries dixi. 2. ſentent. diſput. 5. quæſt. 2. de conſcientia probabili, regulam illam de ſequenda tutiori via in dubiis eſſe generalem in omnibus materiis moralibus, quandò nimirùm id fieri poteſt *absque magno incommodo*, & *notabili detrimento*. Quod quidem pluribus, & manifeſtis exemplis ſolet declarari; nam qui dubitat, an hodie ſit dies feſtivus, tenetur audire ſacrum, & ſi in die feſto poteſt quis audire hanc miſſam, & dubitat, an hanc omittendo ſit habiturus copiam alterius, illam audire omninò tenetur, & ſi dubitet, an hodie ſit dies jenunii, jejunare tenetur, non enim hoc eſt adeò grave incommodum, ut homo firmæ valetudinis excuſetur; ſimiliter ſi dubitat ſacerdos, an hodie horas canonicas recitaverit, nec dubium deponere poteſt, eas recitare tenebitur, & ratio horum eſt, quia cavendum eſt periculum faciendi id, quod in ſe materialiter ſpectatum ſit malum, quando abſque notabili incommodo, & detrimento vitari poteſt, ſed ibi propriè eſt periculum, ubi dubium; ergo &c.

ANIMADVERSIO IX.

De licentia probabilismi etiam germaniſſimi practica ex mero libertatis uſu non videtur ſatis conſtare.

§. XXI.

Hæc quamvis ſit maxima, & ultima quæſtio in lege probabilismi, nullus tamen theo-

theologorum, quantùm ſcio, pro dignitate meriti eam hactenus examinavit. Ultrà ſuperiùs laudatum P. Raſsler nonnullos invenio, qui illam velut cæterarum pedisſequam obtutu aliquo transverſo dignam judicarunt, ut autem ſtatus quæſtionis non in alio, niſi in ſenſu germaniſſimo intelligatur. Ecce, ponatur ſententia aliqua verè, abſolutè, & comparativè ita probabilis, ut ejus oppoſita pro lege ſit, & ſupponatur probabilior; Sit in exemplo obvio de recitante beneficiato Breviarium voluntariè diſtracto, de ejusmodi ſupponatur ulterius, quòd hodie, heri, nudius tertius, & ſic deinceps, quoties penſum ſuum canonicum ſub voluntariis diſtractionibus, & quidem ſubinde etiam peccaminoſis recitavit, poſſet, & potuiſſet Breviarium ſuum ſine extranea, & notabili difficultate miſſis diſtractionibus ſaltem voluntariis repetere; ſed, quia ſcit, & ex doctrina graviſſimorum auctorum ſupponit, quòd ex opinione verè, attamen minùs probabili ad id non obligetur; dicit: quamvis ſine difficultate, & notabili incommodo poſſem horas ſic recitatas repetere; cùm tamen præcepto Eccleſiæ inhærendo probabili ſententiæ ſatisfactum jam eſſe ſciam; nolo mè uſui probabiliorismi maximè pernicioſo ſubjiccre, eoquòd uſus probabilismi germanismi, qualem iſthic ſector, me maximè tutum reddat: Si ob-

obſtrictus, & ligatus ex probabiliore opinione vinculo voti, vel juramenti, vel obligatione reſtituendi, etſi iſta omnia adimplere ſine extranea, & ſpeciali difficultate haud difficulter poſſit, cunctas iſtas obligationes ſibi probabiliùs incumbentes adimplere præciſè ideo omittit; quia pro libertate ſtat ſententia agnita, ut minùs tuta, & ſimul minùs, attamen verè probabilis; pro tali caſu quæritur, utrùm uſus probabilismi ſit, & maneat maximè tutus? detractor alienæ famæ, vel obligatus ſive ex delicto, ſive ex contractu in dubio juris ita cónſtituuntur, ut opiniones probabiliores ad reſarcitionem famæ, aut alterius læſionis eos omninò obligent; è contrario verò ſententiæ minùs attamen verè probabiles illos ipſos abſolvant à tali obligatione. De iſtis, & aliis conſimilibus hîc quæritur: an eos ſola poſſeſſio meræ libertatis, atque unicum jus probabilismi ſine externa difficultate, ſine periculo detrimenti in propria fama, vel honore ab obligatione reſarciendi famam proximi, vel indemnitatem præſtandi excuſet? & pro hoc rerum themate exiſtimavi, quòd de licito uſu, & executione probabilismi etiam germaniſſimi ſatis non conſtet; & ita me ſentire cogunt tam auctoritates, quàm rationes convincentes. Doctor Eximius D. 40. S. 5. n. 12. apud citatum P. Raſsler dicit, „quòd invincibiliter dubitans de im-

„positione præcepti non sit in conscientia „ad ejusdem observantiam obligandus; „*præsertim, ubi res præcepta onerosa est, & gra-* „*vis.* Et licet iste loquendi modus posset mitiùs exponi; tamen P. Rassler ex sequentibus satis illum pro systemate obligante vindicat, & thesin *obligationis* ex doctrina Scoti, Scilder, Salas, satis firmat. P. Gobat tr. 1. Clypeo Clement, Sect. 3. n. 4. reprobat doctrinam Zachariæ Pasqualigi docentis: non esse laudabiliùs, sequi *absque causa speciali* opinionem minùs probabilem, etiamsi illam sequendo effugiatur periculum peccati materialis; P. Ludovicus Wageman, §. 1. synopsis theol. moral. tr. 3. cap. 3. in fine adjungit: „probabilismum „ita limitatum NB. *medici salubris instar NB.* „*propter necessitatem*, & praxim honorandum esse.

P. Bartholomæus Mastrius loco suprà indicato n. 57. cum Aversa, & cum communi aliorum absolutè vult, si opinio tutior sine *notabili detrimento; aut magno incommodo teneri possit*, in tali casu operantem tutiorem sequi teneri. Ipse Pythanophilus scholio 2. definit. 8. Henrici verba adducit. Idcircò dico absolutè, quòd quilibet cæteris paribus, semper *teneatur* agere, & *eligere meliùs*, *præcipue verò*, si utrumque *eadem facilitate* exequi potest. Hæc Probabilistarum testimonia juncta cum communi Antiprobabilistarum faciunt hanc sententiam

non

non ſolùm communem, ſed etiam unicè probabilem; quia nulli, niſi reſpectivè pauciſſimi licentiam ſequendi minùs probabilia expreſſè extenſam volunt ad caſum, de quo hic diſputatur, meræ libertatis, quandò ſequelam probabilioris, & tutioris nulla circumſtantia extrinſeca arduam efficit.

§. XXII.

Fortius robur hæc doctrina de uſu non licito probabilismi merè voluptuarii recipit ex defectu argumentorum in oppoſitum. Argumenta, ex quibus licentia probabilismi potiſſimùm evincitur, ſunt iſta præcipua: quatenus (1.) ſummi Pontifices uſi, & ſecuti ſint opiniones etiam minùs probabiles in diſpenſationibus circà leges divinas, & naturales. Quatenus (2.) viri etiam maximè timorati, & docti in dandis reſponſis, & conſiliis ſuis frequenter ſecuti pariter fuerint ſententias minùs probabiles; idque tanto magis, quia (3.) *obligatio* ſequendi in praxi tutiora foret onus tam operantibus, quàm confeſſariis, & conſultoribus nimis grave, & intollerabile; quibus demum (4.) hæc generalis ratio accedit, quod doctrina de licita exercutione probabilismi ex una parte in regulis prudentiæ ſit ſatis fundata, quin ex parte altera obligatio ſequendi tutiora exiſtat ſufficienter probata.

Nam esto ad 1. Summos Pontifices dispensando in legibus divinis, & naturalibus in sequelam opinionum etiam minùs probabilium subin processisse; & licet nulla dispensatio licita habeatur facta absque justa, & rationabili causa; si tamen exempla talium dispensationum ritè expendere placuerit, manifestè apparebit, quòd sancta sedes ad sic dispensandum ex opinione merè minùs probabili nunquam processerit, nisi ex causis extraordinariis summæ necessitatis; conservandi populum, & Principes in orthodoxa religione; promovendi conversionem infidelium, & hæreticorum; præcavendi defectionem à fide, & religione, aut ex aliis motivis prorsus extraordinariis, in quibus opinio sufficere potuit, quæ fortè non fuerit certò, sed solùm probabiliter, aut tenuiter probabilis. Quatenus itque Papa Adrianus VI. in voto solenni castitatis, & in matrimonio rato NB. ad solam opinionem Cajetani dispensasse asseritur; ad effectum ex ejusmodi exemplis probandi, usum probabilismi etiam extrà casus supremæ necessitatis esse maximè tutum, & contrarium pernicioſum; justificari priùs deberet, quòd *sola Cajetani auctoritas* feciſſet illam opinionem certò, & non tantùm probabiliter probabilem; quòd illa opinio Pontifici ex plurimorum aliorum judicio visa non fuerit probabilior, & quòd insuper factum illud fuerit ex causa

ordinariè fufficienti, & tali, quæ juſta, & ſufficiens eſſe ſolet ad diſpenſandum ex opinione DD. communi, vel certò communiori, & probabiliori. Qui ſuppoſitorum apparatus in æternum non juſtificabitur. Videatur ad hoc P. Amort in theol. Eclect. diſput. 2. de conſcientia fol. mihi 146. P. Biner in Hiſt. Probab. art. 2. fol. 791. at quòd Summi Pontifices ad conſimiles diſpenſationes, non proceſſerint ex mero uſu probabilismi, ſed ex motivis prorſus extraordinariis, ex eo conjicitur, quia exempla talium diſpenſationum adeò ſunt rara, & non leguntur indultæ, niſi in caſibus minimè ordinariis. Nota ſunt ex ſacris litteris exempla, quibus Deus reſpiciendo ad caſus neceſſitatis ſervos ſuos coarctantis, ad duritiam cordis populi ſui, ad difficultates extraordinarias in exigendis obſervationibus legum certarum indulgentem ſe exhibuit, & tamen illa divinæ indulgentiæ exempla nullum formant juſtæ illationis argumentum, quòd eius uſus, & præſumptio extrà illos neceſſitatis caſus, & difficultatum circumſtantias ſit in praxi tutus. Sic etiam, quando Chriſti in terris Vicarii in caſibus legis divinæ, & naturalis cum nonnullis fidelibus diſpenſarunt; juſta præſumptio eſt, id aliàs factum non eſſe, niſi cùm maxima neceſſitas id poſtulaſſet, & quandò uſus oppoſitæ ſententiæ denegando diſpenſationem conjuncta eſſe cer-

nebatur cum manifesto periculo gravis detrimenti. Saltem non constat de uno unico exemplo, quòd Apostolica sedes unquàm in sequelam opinionis minùs probabilis dispensaverit, quandò oppolita, probabilior, & de se tutior per denegationem dispensationis absque manifesto periculo gravis mali, & salutis observari potuisset. Quòdsi ergò tutior opinio moraliter non fuit possibilis, & absque periculo gravis detrimenti practicabilis, versamur extrà statum quæstionis; quia tunc tutior non fuit *liberè relicta*, sed sequela probabilis facta fuit *unicè tuta*. Unde demum aliud concludi non potest, nisi quòd praxis Ecclesiæ in sic dispensando usum probabilismi, ad istas singulares casus non restrictum, absolutè illicitum supponat, & neutiquam utilem, secùs enim Ecclesia illam regulariter, & ordinariè sequeretur. In conformitatem istius limitationis

§. XXIII.

Ad (2.) simili modo intelligendi sunt probati, & timorati Theologi non minùs recentiores, quàm antiquiores. Nam antiquiores Theologi licentiam sequendi opiniones simpliciter probabiles admittentes, potiori saltem ex parte loquuntur de opinione probabili illa, quæ pro se habet *rationes grossas, magis pro una parte inclinantes* intellectum, vel quæ est *rationabilior*, imò

&

& æquior; ùt omnes Theologos, & Jurisconsultos pro licentia probabilium allegati solitos, sive in fonte, sive à P. Rasler disput. 3. Q. 8. n. 345. relatos relegenti, & inspicienti luculenter apparebit; & siquis fidem istius antiprobabilistæ in allegandis pro se antiquorum testimoniis suspectam facere vellet, dignetur talis textus antiquorum allegatos in fonte inspicere, & de fidelitate auctoris convincetur. Jam opinio, pro qua rationes grossæ stant in unam partem *magis, quàm in aliam facientes*, atque propterea *æquior*, & *rationabilior* apparet, non est minùs probabilis, sed probabilior, vel saltem æquè probabilis, ùt latè ostendit P. Rasler loc. cit. P. Amort Disp. 2. de conscientia fol. 155. P. Antonius Mayr in tract. de actibus hum. Gonzalez, & alii.

Quærens sæpè quæsivi ex antiquitate Medinâ superiore theologum, aut Jurisconsultum verè gravem, & classicum, qui utriusque disciplinæ rationibus ritè ponderatis ex instituto doceret, & citrà omnem necessitatem, & motivum extrinsecum licitum sustineret usum opinionum agnitarum, ùt minùs probabilium, ex mero privilegio libertatis; sed fateri cogor, nullum me ita apertè docentem hactenus offendisse; & recentiores Theologos quòd attinet, illorum potissima pars thesim mole indigesta, & sine explicatione tractat: utrùm intelligi illam velint illimitatè? vel solùm

pro casibus, quibus urgens necessitas, salus proximi, vel gravissima ex adverso obstacula sequelam Probabilismi unicè probabilem, & in praxi unicè tutam efficiunt. ex qua propositione generali argumentum ad species ductum univocè non concludit. Probabilismus est licitus; concedo: est maximè tutus; itidem concedo, sed non semper, & extrà casus necessitatis, citrà exigentiam salutis, aut absque gravi difficultate. Exercitus doctorum ex omni tribu, & omni natione, & ex omnibus ordinibus stat, & pugnat pro licita sequela probabilium; non nego. Sed nominetur unus, & ex omnibus unicus auctor, qui ex professo, & ex instituto defendat generalem licentiam sequendi Probabilismum (loquor semper de materiis aliàs non exceptis) etiam pro casibus meræ Libertatis nulla id justificante ratione extrinseca; & tunc primùm videndum erit, quem probabilitatis gradum ejusdem auctoritas, & rationes promereantur? usus opinionum etiam tenuiter probabilium pro casibus necessitatis non est damnatus testante communi Theologorum cum P. Cardena; est utilis, & in defectu melioris maximè tutus. Sed nulla exinde consequentia inferri potest pro licentia generali, & illimitata tenuis Probabilismi. Cæterum licet magna sit congeries argumentorum, quibus justitia, & innocentia Probabilismi à suis pa-

patronis evincatur, pauca tamen, vel nulla eorum sunt, quæ extrà concursum rationis, & necessitatis extrinsecæ vim probandi aliquam retinent; id quod eundo per singula facili negotio ostendi posset, si operæ pretium accederet. Intereà suam ex dictis quoque recipit expeditionem objecta ad 3. obligatio nimis gravis sequendi tutiora, aut probabiliora; nam status quæstionis præsentis restrictus imprimis est ad casus exclusivos difficultatis, aut necessitatis extrinsecæ. Loquendo jam de difficultatibus ipsi executioni, & ipsi observantiæ doctrinarum probabiliorum intrinsecis, objectio ista nullam meretur attentionem. Undenam enim, quæso, homini prudenti oriatur onus haud tollerabile confitendi peccata dubia? undenam intollerantia oneris in Clerico sano, negotiis non occupato, & lingua non impedito; quominus horam Breviarii, quam voluntarii finè distractus recitaverat, repetat? quænam difficultas nimia in hoc, ut homo suprà modum non laborioſus in die festo audiat adhuc ultimam partem sacri, postquam de una Missa eandem posteriorem partem, de subsequenti Missa priorem partem jam audiverat? eadem est ratio in eo, qui ex loco diei festi in alium, ubi dies festivus non est, ante tempus ultimi sacri exire cogitans, nullum ante abitum audit sacrum, licit facillimè posset. Benefi-

ciatus, aut copioſi Proventûs Canonicus tam ægrè ferre non debet, peccata omiſſi Breviarii compenſatione fructuum, & Eleemoſynis redimere. De uſu igitur, & etiam de obligatione Probabiliorismi ad iſtos, & alios conſimiles caſus practicos, & quotidianos reſtricti, non video, quomodò pernicioſus proclamari debeat? Jam ſi uſus Probabiliorismi explicato modo germaniſſimus operanti accidere non debet nimis oneroſus, cur idem onus non etiam ceſſet in Confeſſario? Sed, cùm conſideratio confeſſarii probabilioriſtæ peculiarem ſibi vendicet animadverſionem; hîc ab ulterioribus meritò abſtinetur, quòd autem

§. XXIV.

Ad 4. doctrina probabilismi ſit prudens, & obligatio ſequendi Antiprobabilismum non ſit ſatis probata; ductum de tota probabilium Republica argumentum ad unam in ſpecie Reipublicæ familiam æquivocè nihil concludit. Uſus poteſtatis in legibus ex rationabili cauſa diſpenſandi eſt prudens, utilis, & tutus: Sed uſus ejusdem poteſtatis, nulla ſubſiſtente cauſa fit abuſus pernicioſus. A prudentiæ legibus non recedit, qui in caſu neceſſitatis, etiam quoad Sacramenta maximè neceſſaria, utitur medio tantùm tenuiter probabili, ita ut pernicioſum omninò foret operantem in tali neceſſitate obligare, ut Sacramenta non adminiſtret, ni-

ſi ſecundum doctrinas certas, aut certò & verè probabiles; itaque ex eo, quòd tota probabilismi officina ineludat pro ſuis circumſtantiis utiles medicinas, uſusque habeat maximè proficuos, minimè conſequitur, quòd omnis ejusdem uſus ſemper ſit utilis, ſemper tutus, & ſemper licitus, etiam tunc, quandò ex una parte agitur de mera licentia actionis, & ex altera parte de mero uſu libertatis contrà legem probabiliùs obligantem. His attentis judicio aliorum relinquitur, utrùm obligatio ſequendi in tali dubio probabiliora ſit ſatis fundata; hîc ſatis erit probaſſe, non conſtare de licentia, & immunitate contrarii; Nam, ſi non conſtat, quòd Deus operantes ſine neceſſitate, ſine gravi difficultate, & ſine periculo detrimenti ex oppoſito, ſecundùm opiniones minùs probabiles agnitas ùt tales, probabilioribus, & tutioribus ex mera libertatis poſſeſſione relictis, à reatu peccati formalis excuſatos habeat, & punire non velit, quis prudentum, amabo, ſine authentica de indemnitate çautione in negotio ſalutis ſuæ confidet? procurent nobis acutiſſimus Pytanophilus, & ejus aſſeclæ ſuis mathematicis demonſtrationibus ejusmodi aſſecurationem de impunitate, vel divinam promiſſionem de licito uſu probabilismi ſic circumſcripti, tunc omnibus erit magnus Euclides. Quid prodeſt laxismus, vel tenuis probabilismus mathe-

maticè demonſtratus, niſi addatur; intellectus, & reſtrictus ad caſus neceſſitatis, ubi omnis deeſt facultas medii ſecurioris? certa eſt demonſtratio, quòd in plaga noſtræ Zonæ Sol per duas tertias diei luceat, ſi illa ad tempus Solſtitii æſtivi reſtricta intelligatur, quin extrà illud anni tempus veritas demonſtrationis ſubſiſtat. Hæc de his interim animadvertiſſe ſufficiat, donec alteri placuerit materiam exactiùs exenterare.

ANIMADVERSIO X.

De Probabilismo ſubjectivo.

§. XXV.

In exercitationibus litterariis ſuper recto uſu probabilium utriusque partis aſſertores ſæpè acres conflictus committunt; quia in anteceſſum ſatis non determinatur, utrùm lis, & contentio verſetur de probabilismo præciſè objectivo? & de quali iſto? Sub termino probabilismi propriè objectivi aliud non intelligi hoc loco ſupponitur, quàm opiniones ſpeculativè, à parte rei, & ſecundùm ſe in abſtracto conſideratæ probabiles tam minùs, quàm magis tales, ita ut ſub quæſtione de licito uſu probabilismi ſtrictè objectivi ſolùm intelligatur, & quæratur: an? & quandò

in

in praxi liceat ſequi opinionem ſpeculativè attentis rationibus in- & extrinſecis minùs probabilem in concurſu probabilioris, & tutioris, ſine ullo influxu motivorum extrinſecorum, de quibus ſuprà diſputatum eſt. Res fit clarior in exemplo jam adducto: utrùm recitans horas canonicas voluntarie diſtractus præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat? nècne? ſuppoſitò itaque, quòd ſententia negativa ſit in ſe *communior*, & ſpectatis omnibus etiam *probabilior*; econtrà verò affirmativa habeatur, & cenſeatur adhuc verè, licet minùs *probabilis*. In ſuppoſito hoc rerum themate inſtituitur quæſtio: an licitum ſit in praxi ſequi ſententiam affirmativam minùs probabilem, & aſſerentem per talem recitationem ſub voluntariis diſtractionibus præcepto Eccleſiæ ita ſatisfieri, ut nulla alia extrinſeca ratione de cumulo negotiorum, laborum &c. attenta, talis non obligetur horas ſic dictas repetere.

Sub Probabilismo ſubjectivo ſubinde intelligitur dictamen ultimum practicum, de quo ſtrictè procedendo nulla hìc eſt quæſtio, utpote quod ex recepta doctrina debet eſſe moraliter certum, & excluſivum formidinis de peccato formali. Alio modo ſumitur, & ad effectum diſcutiendi quæſtionem præmiſſam ſtatûs probabilismi ſubjectivi, ita formari debet, ut quæratur: an liceat ſequi opinionem aliis communi judi-

judicio visam minùs probabilem, mihi autem visam probabiliorem? Item: an sequi liceat aliis visam verè non probabilem, si eadem tamen mihi videatur verè probabilis? cùm itaque de usu probabilismi strictè objectivo actum fuerit in animadversione antecedente; & de dictamine ultimo deinceps agendi occasio futura sit: quæstio hæc restringenda jam est ad probabilismum subjectivum ultimò locò descriptum.

De cætero caret dubio, quòd propria cujusvis conscientia sit regula proxima, ex qua actus humani suam desumant moralitatem, sive meriti, sive demeriti; quia, quod ex fide, seu conscientia recta, aut inculpabiliter erronea non est, peccatum est, atque homo à Deo judicandus secundùm propriam suam conscientiam est. Cùm ergò regnum Theologiæ moralis sit ferè totum opinativum, in quo certitudines non sunt frequentes, sequela verò sequendi semper tutiora nimis ardua credatur; quæritur, quomodò formanda in concursu opinionum adeò diversarum sit conscientia recta, seu invicibiliter erronea? Istis præmissis dicendum est, quòd regulariter, & planè universaliter loquendo quivis quomodocunque sibi visus doctus, relicta opinione probabiliore propria, sequi possit communiorem, & aliis communiter visam probabiliorem; nisi de ejus falsitate, & erro-

re

re ratione ſtabili, & certa convincatur. Rationes hujus aſſerti ſunt; quia cùm primò de probabilitate intrinſeca ex ſuprà dictis judicare non poſſint, niſi viri doctiſſimi, & in re Theologica verſatiſſimi, & cùm præterea ex centenis, & millenis Confeſſariis, Parochis, Judicibus, Satrapis, Miniſtris, & Rectoribus populi vix unus, aut alter in rebus moralibus ſoleat, & poſſit eſſe ſatis verſatus, ex defectu tum temporis, & vocationis, tum neceſſarii ad id apparatûs librorum; probabilismus à quovis & contrà probabiliorem aliorum ſibi formatus, ſine periculo toties quoties errandi, ſtatui pro regula tuta, & generali haud poteſt. Converſatio cum ejusmodi practicis doctoribus paucorum annorum ſufficit ad capiendum experimentum, quòd viri, qui ſive Pariſiis in Gallia, Salmanticæ in Hiſpania, ad Minervam Romæ, ſive Salisburgi, aut Ingolſtadii in Germania, ſeu denique Lipſiæ in Saxonia ſtuduerint, à ſtudiis academicis praxi applicati opiniones quotidiè propugnent, & ſecundùm eas in praxi procedere nitantur, quæ in ſe ne quidem ſunt probabiles, & ſæpe apertè erroneæ, idque ex illo periculoſo principio: hæc operatio, hæc ſententia, hic procedendi modus mihi videtur ſatis ex rationibus meis fundatus, licitus, & pro re nata conveniens, non curando quidquid alii in contrarium teneant, aut doceant;

cùm

cùm procedere practicè quivis debeat ſecundum doctrinas ſibi, & non aliis viſas ſatis. Contrà veritatem facti ab experientia probatam non peccant, qui dicunt, quòd illi ex hominibus litteratis, qui de ſcientia morum ampliorem ſibi non compararunt proviſionem, niſi ſuperficialem aliquam principiorum generaliſſimorum tincturam; in reſolvendis quibuscunque dubiis ſint ordinariè expeditiſſimi, & audaciſſimi; quin alterius oraculi tripodi ſic procedendo innitantur, niſi privato ſpiritui proprii arbitrii; quia ipſis ſic videtur. Jam ſi vera ſunt, quæ ab iſtis ita dicuntur, quis currum juſtitiæ, quis habenas conſcientiæ, talibus tutò confidet aurigis? & hinc probatur aſſertio

§. XXVI.

Secundò ex ratione Can. 1. & 5. de conſtitutionibus, quorum primo ſtatuitur, ut hemo in rationibus, & judiciis Eccleſiaſticis NB. *ſuo ſenſu*, ſed *auctoritate canonicorum ſtatutorum* ducatur. Et in altero ex D. Hieronymo vetatur: *ne quis nitatur prudentiæ ſuæ*, „prudentiæ autem ſuæ inniti cenſea„tur, qui ea, quæ ſibi agenda, vel dicen„da videntur, Patrum decretis proponit. Et quamvis littera iſtorum canonum loquatur de prælatione ſuæ opinionis ſtatutis canonicis, & decretis Patrum; interpretes tamen eandem doctrinam expreſſè, propter

ter rationem Legum, etiam extendunt ad doctrinas communes contrà proprium sensum; nam, ut Baldus ad ista loca apud Fagnanum n. 11. commentatur, erronea est conscientia propria, & singularis, éstque potius quædam superstitio; unde Antonius de Butrio, Joannes de Imola, Alexander de Nævo hunc textum esse allegabilem dicunt contrà *captiosos*, qui plus de se præsumunt, quàm sit in rei veritate, & volunt, *omnes suas opiniones aliis prævalere.*

Nicolaus Fermosinus in alleg. cap. 5. ne *innitaris* ex SS. Scriptura; D. Bernardo, & aliis demum paucis, ita concludit: unde sequitur, ut quisquis innixus suæ prudentiæ miserabiliter ruat, & *erret.* n. 14. Augustinus Barbosa ad cap. cit. 1. de constitut. ad verb. *nemo sensu suo*: doctrinam his paucis complectitur. Ergò judex non ad libitum, sed secundum communem, & magis receptam Doctorum opinionem tenetur judicare. Etenim opinio illa præsumitur verior, adeoque in judicando sequenda erit, quæ à majore parte Doctorum recepta existit. Communis tamen opinio præferenda non est illi, quæ validioribus, & melioribus rationibus nititur, ita n. 7. 8. & 9. cum istis concordant Gonzalez, & alii interpretes, præsertim antiquiores cum Host. Zabarella, Panormit. & aliis suprà à Fagnano nominatis. Loquuntur quidem illi commentatores signanter de Judice; attamen

ideò Judex in judicando debet communiter receptam ſuo ſenſui, & opinioni ſibi viſæ præferre; quia communior præſumitur verior, & quia juſtificatio, æſtimatio, & taxatio rationum intrinſecarum juſtius, & melius committitur judicio, & conſenſui complurium, quàm arbitrio unius, aut paucorum Doctorum. Utique ſententia melioribus, & validioribus nixa rationibus præferenda eſt communi; ſi certò & authenticè conſtat rationes alicujus opinionis ſingularis eſſe meliores, & firmiores: at earum ponderatio non bene committitur cujusvis privati judicii ſtateræ; ſed rationes non minùs, quàm ipſæ opiniones, tutius communi conſenſu, & judicio velut in ſtatera publica ponderabuntur. In diebus antiquis, quandò rarus Codicum manuſcriptorum uſus ſterilitatem Doctorum peperit, opinio unius D. Thomæ, unius D. Bonaventuræ, Suarezii, aut Scoti potuit ex rationibus anteà non excultis, non difficulter prævalere communi illius temporis Theologorum; ſed, poſtquam iſto eruditiſſimo ſæculo omnes ſententiæ, & ſententiarum rationes tam ſingulatim, quàm collectim ſumptæ à tot, & tantis viris fuerunt ad viſcera usque excuſſæ, tutius acquieſcitur communiori plurium, quàm opinionibus ſingularibus paucorum; nam ſi Auctor ſingularis opinionis contrà communem aliorum ſe ſufficienter legiti-

maverit, quòd ipsius perspicacia ingenii, præstantia virtutis, & rectitudo judicii coràm angelis, & hominibus in pari cum D. Thoma, D. Bonaventura, Suarezio, & aliis similibus viris stet auctoritate; tunc lubens assentior, Doctoris taliter legitimati rationes sententiam facere contrà Communem aliorum, de Communi Doctorum probabiliorem; secùs illi viderint, qui justitiam sibi, & securitatem conscientiæ administrari optant ex opinionibus cujusvis privatis, & sibi visis probabilioribus. His accedit Tertiò ratio extraditis à P. Sporer deducenda §. 4. n. 34. de conscientia; ubi quæstionem hanc format: utrùm propensus ad aliquam rem, vel actionem licitè agat, si ante factum inquirat varias opiniones, & consulat diversos Doctores; donec tandem sibi faventem inveniat. Et respondet ad quæstionem: quòd, si bona fide sic procedat, licitè agat; quia licitum est sequi opinionem minùs probabilem, & operans juxtà „ probabilem sententiam non „peccat: negari tamen non posse, dicit, „quòd iste modus procedendi sit valdè pe„riculosus, eoquòd vehemens illa inclina„tio ad unam partem sæpè faciat, ut cir„cumstantiæ omnes ad rem pertinentes non „considerentur, nec debitè ponderentur „rationes in oppositum; affectu enim præ„dominante excæcari judicium. Navarrus in suo manuali cap. 17. n. 82. & 83. inter

causas à restitutione excusantes, inter alias etiam recenset *ignorantiam juris*; præsertim, ait, quando viri scientia, & conscientia præditi dubitanti consulunt, quòd ad restitutionem non teneatur. Secùs tamen esset, addit ibi, de eo, qui consuluit eos, quos responsuros sibi placita credit, ita ut, nisi hoc crederet, eos non consuleret. Minùs excusarentur, qui consulunt (& postquam à multis intellexerunt, se ad restitutionem teneri) ab aliis consulendis non desistunt, donec aliquem (vel etiam aliquos) repererint, qui respondeant, ipsos non teneri. Sic quoad rem Navarrus. Ex istis jam patet, quòd usus probabilismi subjectivi in ejusmodi quotidianis casibus plenus sit periculis abusuum. Ut autem status hujus periculosi vorticis magis fiat perspicuus, & oculis pateat, animadvertendum est, quòd si licitum, & tutum est sequi opiniones minùs, attamen adhuc verè probabiles; tunc ad consulendum suæ libertati pariter licitum, & permissum esse debeat plures, & plures Theologorum libros evolvere, & eorum sententias conquirere, donec inveniat unam suæ intentioni faventem, quam graves, & religiosi Auctores defendunt ut verè probabilem; secùs enim tales opiniones non liceret sequi, nisi ipsis Theologis; viri autem cæteroquin Reipublicæ Christianæ summè necessarii, quos vocatio à profundissimo Theologiæ stu-

ſtudio ſubmovit, & qui ſententias ſibi faventes absque inſpectione librorum neſcirent, deterrimæ eſſent conditionis: nam cuivis licitum, & liberum eſt exquirere illa media & praxes, quæ ſunt hinc maximè tutæ, & illinc minùs oneroſæ. Fruſtrà autem iſte procedendi modus cum P. Sporer ex eo periculoſus aſſeritur, quia affectio ad unam partem ſæpè facere poſſit, ne utriusque ſententiæ fundamenta ritè ponderentur; fruſtrà, inquam, hoc prætenditur; nam ad hominem, qui in arcanis Theologiæ Principiis, & ſententiis non eſt verſatiſſimus, & à multorum annorum ſtudio, aut prælectionibus non eſt exercitatiſſimus, non ſpectat de gravitate, & pondere rationum diſcernere: Sed, ſi Officialis laicus, ſi Confeſſarius ruralis, ſi Religioſus Miſſionarius, aut Mendicantes in collectationibus ſuis ſuper licentia actionis conſulti inveniunt ſententiam propoſito favorabilem in auctore ſuo, in reſolutionibus P. Elbel, P. Holzmann, P. Leonardelli, in P. Sporer, P. Lacroix, P. Babenſtueber, vel aliis; in ſyſtemate Probabiliſtico tutò ſupponunt, talium opinionum rationes fuiſſe ab illis abunde examinatas; Peritis enim in arte ſua confidendum, & credendum eſt: ad quid enim Scriptores Theologici merces ſuarum opinionum, & Sententiarum publico uſui, & praxi communi venum expoſuerunt, ſi vir, quem vocatio ſua Theologum verſa-

tissimum esse non sinit, nonnisi probatis, & examinatis rationibus, eorum doctrinis tutò, & licitè uti possit?

Ad modum appendicis juvat adjungere lineam Familiarum descendentium. In systemate Probabilismi maximè tuti certum est, licitum esse sequi quamcunque opinionem verè probabilem.

In supposito hujus systematis maximè tuti certum ulteriùs esse debet, quòd liceat homini in praxi versanti ex libris Theologorum defactò approbatis, & maximè obviis suprà nominatis, & aliis, opiniones libertati & commodis consulentium faventes conquirere, colligere, & secundùm eas proposita dubia tam propria, quàm aliena expedire, dummodò certus sit, quòd auctor, quem ex illis sibi maximè familiarem habet, opinionem sibi faventem defendat ùt verè, & practicè adhuc probabilem.

Certum in eodem systemate præterea esse debet, quòd viri practici, qui in Cathedra theologica multis annis non sederunt, qui Bibliothecas Theologicas, & tempus non habent principia sublimia, sententias, connexiones materiarum, comparationes, illationes, & rationes cum pondere examinandi, & librandi; adigi nec possint, nec debeant, ut firmitatem, & valorem opinionum intrinsecam dijudicent, antequam easdem in praxi sequantur.

Quo supposito sequela denique ampliùs certa esse debet, quòd, cùm de asserta probabilitate intrinseca judicare non possint, nisi exercitati Theologi (talesque, exceptis Theologiæ Lectoribus, & Professoribus, non sint, nisi pauciissimi) generaliter admittendum, & statuendum veniat, Capellanis, Confessariis præsertim ruralibus, Parochis, Advocatis, Consultoribus, Consiliariis, Prætoribus satis esse posse, si opinionem, quam post multam inve-

investigationem suo clienti, pœnitenti, & causæ præsenti maximè favorabilem repererint, à Theologo in nostris partibus recepto ùt probabilem defendi cognoscant. Hinc non minùs ego, quàm alii à studio scholastico ad praxim applicati in dubiis casibus sæpè exultavimus ùt gigantes, si in P. Elbel, in P. Sporer, vel in articulatissimo P. Lacroix opinionem demum invenimus, ex qua Pœnitenti, vel aliàs ad nos recurrenti favorabile responsum dare potuimus, quin necessarium, vel consultum esse duxerimus rationes dubitandi Auctoris, & decidendi multùm cribrare; quia nefas, & injuriosum maximè fuisset, si nostrum videri auctoritati, & judicio recepti Theologi præferre voluissemus. A primo ergò ad ultimum iste modus procedendi in systemate probabilistico non potest, nec debet traduci ùt periculosus, nam si usus probabilismi est maximè tutus, & utilis, non potest esse perniciosum in Sententiarum & opinionum sic probabilium fodinas investigare, ut de magis favorabilibus frequentior fiat usus.

Discussio, vel tumultuaria exagitatio prioris argumenti de licita investigatione, conquisitione, & sequela opinionum probabilium in operibus Theologorum, & Moralistarum publicè defendi solitarum, campum aperit ad promovendum examen ejusdem argumenti ad aliud genus quæstionis: an, & quomodo operanti, vel de licentia suæ intentionis, & actionis dubitanti liceat complures viros doctos consulere, & consulendo plures, ac plures tamdiu circumire, donec inveniat aliquem, vel aliquos sibi ad placitum respondentes? Et

hic est alter casus, & cum priori non confundendus, de quo doctrina à P. Sporer, & Navarro suprà insinuata intelligenda est. Prior quippè casus strictim loquendo intelligi debet de viris, qui, licet ex professione sua studium Theologicum non tractent, non tamen sunt ita illiterati, ut sententias à Theologis scripto, & typo traditas legere, & intelligere nequeant. Hîc autem intrat casus, quandò homines potissimùm illiterati, & plebæi suos consulunt Pastores, confessarios, vel viros aliàs sibi benevisos, & existimatos doctrina sufficienti pollere. Jam in casu sic formato promovetur prius argumentum, & quæritur: an homini indocto liceat plures, & plures confessarios, & litteratos consulendo adire, & postquam unum, vel duos suæ causæ, & libertati contrà plures faventes invenerit, possit illorum consilium, & responsum tuta conscientia sequi? v. gr. in casu de excusatione à restitutione secundùm quæstionem Navarri? Atque in hac thesi ad consequentiam prioris argumenti, argumentum sic construi posset: si homo practicus potest investigando quærere opinionem suæ causæ faventem, & inventam in Theologo recepto, & defensam ùt verè probabilem, tùtò sequi, licet ipse consultus Theologus dicat, & fateatur, oppositam sententiam esse magis tutam, & magis probabilem; quid obstat? quo minùs

ho-

homo indoctus, & de obligatione aliqua dubius sequi valeat responsum confessarii, vel aliàs consulti dicentis obligationem, de qua quæritur, non esse certam, sed eam probabiliter non existere, eoquòd opinio, seu doctrina aliter respondentium sit quidem valdè probabilis, vel etiam probabilior, quia tamen certa non existat, turò secundùm suum responsum procedi posse. Talis consulens existimare potest, cæteros confessarios, vel consultores fuisse vel Rigoristas, vel saltem Antiprobabilistas, quos sequi non oportet. Certò, quamdiu falsitas hujus illationis ex discursu prioris argumenti de opinionibus Theologorum scriptis, atque hujus consecutionis ex Probabilismo non manifestè demonstratur; tamdiu ista doctrina sufficientem præbet maximæ parti hominum operationis suæ protectionem, & procusum ex ipsis Theologorum Principiis excusationis Clypeum. Nunquid diversa responsa confessariorum verbalia æquiparantur apud illiteratos, vel apud litteratos quidem, sed non Theologos, totidem sententiis Theologorum scriptis probabilioribus, & minùs probabilibus? cùm igitur in his probabiles sequi possim, relictis probabilioribus; cur illiteratis id non liceat in diversorum diversis responsis. Intellige semper ex supposito systematis probabilistici. Et hæc est una ex sequelis, cujus frequentiam, & maximum ab-

usum tabulæ confessionalium quotidiè experiuntur, & deplorant. Utinam exiguus foret numerus confessariorum, qui nescio ad quem effectum conquirunt ex auctoribus benignas in compendio sententias, & usu illarum omnipotenti, (ut verbo celeberrimi cujusdam Missionarii ex testimonio praxis loquentis utar) omnia ab aliis ligata, vel liganda solvere valent. Quòd si insuper considerare velimus, non modicam partem Pastorum, Confessariorum, & sic consulentium Theologorum principiis sententiarum particularium in sua radice, & cohærentia profundè nunquam studuisse, minùs eorundem vim penetrasse, sed præcisè sententias auctorum probabiles memoriæ incarcerasse; quid fiet, si illis adhuc procedere insuper licet ex persuasione: satis esse, quandò opiniones sibi adhuc visas probabiles sequantur. Cùm è contrario in systemate Antiprobabilismi, vel Probabiliorismi istorum abusuum jam ipse fons, & scaturigo sit obstructus. Hæc tamen ita referendo nihil decidere cogito, sed aliorum tantum exactiori Criterio, & examini casum à casu magis discernentium committo.

ANI-

ANIMADVERSIO XI.

De alio genere probabilismi ſubjectivi.

§. XXVII.

Hactenus ſermo fuit de Probabilismo taliter ſubjectivo, qui non fit ſine aliquo reſpectu ad probabilismum objectivum, & formatur cum aliqua relatione, & reſpectu ad opiniones inter Doctores probabiles: an, & quando nempe licitè quis formare poſſit judicium approbationis unius partis præ altera, ſtantibus opinionibus à parte rei ſibi oppoſitis; quatenus unam opinionem Doctorum adopto, & amplexu propriæ voluntatis illam facio meam. Jam ſupereſt alius Probabilismus merè Subjectivus, & abſolutus ſine reſpectu, & dependentia ab opinionibus objectivis, & ſpeculativis ab auctoribus propugnari ſolitis, ſed eſt quaſi meri facti, & practica dubitatio de licentia actionis. Ut ſiquis dubitat, utrùm admiſſis cogitationibus obſcænis plenè conſenſerit? Utrùm plenariam habuerit de malitia advertentiam? Si homo rerum Theologicarum ignarus in neceſſitate ſe reſolvendi ad agendum, vel omittendum conſtitutus (ita ut tempus, & occaſio deſit alios conſulendi, vel in veritatem inquirendi) dubitat, utrùm actio propoſita ſit ipſi licita, nécne? Si puellæ, & Juve-

nes

nes minùs astuti de pluribus hinc inde dubitant, licitàne sint, vel non, quin occasionem inquirendi veritatem habeant? De istis jam quæritur, si ipsis ex propriis, & merè subjectivis rationibus actio videtur probabiliùs illicita; an relicta sic probabiliori licitè sequantur opinionem suam minùs probabilem? usus, & utilitas, quæ ex determinatione hujus probabilismi descendit, extendit se inter cætera etiam ad effectum formandi rectum judicium in confessionali de statu pœnitentium. Plebæi namque, & rudes, ex quibus maxima pars pœnitentium consistit, nihil sciunt, nec in operando reflectunt ad aliquam probabilitatem objectivam; sed quæsiti super dictamine ante operationem formato communiter respondent: Ipsis dubium fuisse, vel in dubio ipsos hæsisse: an actio proposita sit licita, an sit graviter peccaminosa? an sit sub gravi prohibita, néne? & si ulteriùs urgentur, quid deinque de licentia actionis ante executionem resolverint? cogitavi, dicit unus sic interrogatus, quia mihi de gravi prohibitione certò non constitit, quia probabiliter credidi, actionem non fore peccatum grave, me non teneri ab illa abstinere, & tutiùs eligere. Alius autem dicit: ego nihil scivi in meo dubio resolvere, sed illo insuper-habito ad actionem processi, & sic alius aliter respondet. Ecce! hic est genuinus

pro-

probabilismus ſubjectivus, qui judicium confeſſariorum difficile reddit, non autem ille prior; & de hoc quæritur, an ejus uſus ſit maximè tutus? an homo illiteratus, & de opinionibus Theologorum ignorans licitè agat, ſi contrà propriam opinionem probabiliorem de peccato ſequatur opinionem pariter ſuam, & ſibi viſam minùs veram, minùs probabilem, & minùs tutam.

Nec juvat dicere, ejusmodi Ignorantiam eſſe vincibilem inquirendo in veritatem; nam inſtante tempore operationis frequenter deeſt occaſio conſulendi, præſertim in ruricolis. Sed transferamus argumentum ad confeſſarios, & ponamus, quòd confeſſarii conſilium à pœnitente ſuper dubio conquiratur; ad effectum cujus reſolutionis nullum confeſſario occurrit principium, vel ſententia objectiva, ita ut conſulenti in inſtanti aliter non poſſit reſpondere, niſi ex rationibus privati arbitrii; ùt confeſſariis minùs verſatis frequenter accidit; potéſtne omnis, & quivis confeſſarius quærenti reſpondere ſecundùm arbitrium minùs probabile viſum, relicto conſilio, & reſponſo tutiori, & viſo probabiliori, in caſu, quo conditio pœnitentis nullum indulget ſpatium conſulendi, & inſpiciendi ſententias aliorum? de his & ſimilibus caſibus dubiorum merè ſubjectivorum antiqui Doctores voluerunt, tutiùs in tali dubio eſſe eligendum.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Ingesta mentio de mente antiquorum scriptorum de sequenda in dubio tutiore parte, occasionem ad novam reflexionem subministrat. Tempore inventam Typographiæ artem antecedente, & multis etiam adhuc annis posteà, extrà Monasteria, & Academias ea tempestate valdè raras, vix ulli in manibus privatorum erant Codices manuscripti, ita ut ex mille, & mille Parochis, confessariis aliisque conscientiarum Rectoribus vix unus, aut alter habuerit compendium, vel Summam aliquam casuum conscientiæ descriptam; quinimò non erant, nisi rarissimi, qui ex pastoribus ruralibus partem dumtaxat S. Scripturæ descriptam possiderent; & quod plus est, plerique ex Rectoribus parochiarum in addiscendis litteris, & studiis ultrà non processerunt, quàm ut ad effectum legendi, & intelligendi codices Missalis, & Breviarii linguæ latinæ studuerit, & ad summum magistri 7. artium creari potuerint. Jam de illis temporibus, & de illorum temporum Rectoribus, & pastoribus animarum quæritur: an licitum eis fuisse, & tutum debuerit, in dubiis quibusvis Juris Naturalis, Divini, & humani procedere secundùm cujusvis probabilismum subjectivum, ita ut in & extrà tribunal confessionum potuerint respondere, & consulere

juxtà arbitrium, & opinionem viſam minùs probabilem relicta probabiliore, & tutiore de obligatione legis? vel utrùm illi meri arbitratores, & fundatores reſolutionum, quorum ſtudium Morale fuit nullum, quibus codices de rebus Theologicis conſcripti erant nulli, quibus omne ſubſidium extraneum rectificandi prudentiam practicam prorſus defuit, obligandi non fuerint ſequi in dubio aut tutius, aut probabilius? Præliminaris deciſio hujus quæſtionis ad faciliùs expediendas quæſtiones modernas de Probabilismo multùm influet; quia moderna ſæpè tempora non carent Rectoribus animarum, apud quos fruſtrà alterius Probabilismi, niſi merè ſubjectivi uſum, ad Ritum dictorum antiquorum in ſeptem artibus Magiſtrorum quæſieris; ubi, cùm unus pro altero uſurpatur, oritur diſſenſio inter Medicos animarum, & confuſio linguarum cum ſcandalo Fidelium.

Iſtis in anteceſſum ſic prælibatis propiùs jam accedere ad Scopum præſentis propoſiti permiſſum eſt. Superius innui, quòd argumentum de Probabilismo non videatur ſatis dividi in ſuas partes, ac diverſos reſpectus; ſed quòd à plerisque generatim ſumpta hæc materia in Maſſa groſſa ſine penetratione ad omnes ejus partes tractetur; atque ideò ad præſcindendas æquivocationes, & confuſiones dextri cum ſiniſtro, optatiſſimum fore, ut genuinus ſta-

tus

tus quæstionis cum relatione ad diversos respectus ante omnia præmittatur, & eo sic præmisso rectus Probabilismi usus in ordine ad omnes ejus partes examinetur, ejusdemque Justitia, ac Innocentia determinetur. In quem finem plus mihi non sumo, quàm ut non nullas quæstiones aliorum oraculis decidendas hîc subjiciam.

ANIMADVERSIO XII.

Quæstiones ad effectum circà Probabilismum ritè procedendi singilatim decidendæ.

§. XXIX.

Q. 1. An in statu pristino respectu Curionum, Pastorum, & Rectorum omni subsidio modernæ litteraturæ destitutorum licitus, ac tutus sustineri potuerit Probabilismus merè subjectivus, prout is ultimo loco fuit descriptus? Esto enim, quòd praxis hujus quæstionis, ubi mundus plenus est Scriptis Theologicis, non sit amplius adeò frequens; quia tamen usus dicti subjectivi Probabilismi ferè unicè viguit à creatione hominum usque ad Regnum modernæ Theologiæ; & ad tempora novissima, quibus Scripta Theologiæ moralis cæperunt esse obvia, & levi pretio comparabilia; ideo factum est, quòd ex ejusdem recto usu;

& directione dependerint Patriarcharum, Sacerdotum, Judicum, Legis peritorum, & Populorum dictamina practica de obligationibus, sensu, & extensione legis divinæ, & naturalis. Nam ex temporibus Legis naturalis, & etiam scriptæ, exemplis, factis, & testimoniis Biblicis ostendi nequit, quòd Patriarchis in dubio legis naturalis, & eorum successoribus in dubiis legis per Moysen promulgatæ, impunè licitum fuerit sequi *probabiles opiniones* de non existentia, de sensu, de non extensione ad casum, de cessatione, vel de non obligatione legis, relictis simul interpretationibus, & opinionibus probabilioribus stantibus pro obligatione. Magnum inde consurgit Præjudicium, & argumentum contrà licentiam Probabilismi moderni; nam si nationes gentium, si Patriarchæ antiqui, si populus Judaicus, & Christianus usque ad Regnum modernæ Theologiæ Moralis, ducti & nixi fundamento absolutè, & comparativè adhuc gravi, non potuerunt formare dictamen satis tutum de licentia actionis contrà rationem graviorem pro lege: vel si ex virtuali, & tacito ejusmodi dictamine procedendo, à reatu, & pœna peccati formalis immunes fuisse non constat; certè nova inventio, & nova expolitio dictaminis reflexi, & practici, tutum refugium præstare Recentioribus non poterit; secùs enim fideles, ac divinæ legis ju-

jugum portantes infelices fuissent, qui Regno præsentis Theologiæ antiquiores in arte moderna, & officina dictaminu practicorum non instructi, & exercitati, dubia sua speculativa, & subjectiva deponendi aliud medium non habuerunt, nisi sequelam tutiorum: saltem eorum ignorantia reddita non fuit ex eo invincibilis, quia in tanta discrepantia Doctorum Recentiorum veritas utrinque certa non fuit; sed propria cujusvis ratio visa operanti verè gravis, debuit antiquis Dei cultoribus impunitatem, & securitatem à transgressione formali conciliare. Hac quæstione sive negativè, sivè affirmativè expedita succedit

Q. 2. An, & quatenus modernis temporibus tutus, ac licitus sit usus probabilismi merè subjectivi? ita ut directores conscientiarum, & confessarii tutò procedant, si absque reflexione, vel fundamento aliorum plerasque quæstiones juxtà proprii Judicii, & prudentiæ regulas minùs probabiles decidant, ducti generali principio: in dubio licitum est sequi opiniones etiam minùs probabiles. Hæc quæstio filia est prioris, cum hoc solo discrimine, quòd moderno tempore ignorantia vinci faciliùs possit usu, & lectione Moralistarum, & Theologorum, cujus medii facultas antiquitùs data non fuit. Procedit hæc quæstio, & usum habere potest ex suppositione, quòd dentur animarum Rectores, &

Pa-

Pastores, quos tempore Studii Moralis debilitas, & vertigo capitis à frequentatione Scholæ, & à diligenti attentione explicationum excusarunt, & quibus cura pastoralis ab eo tempore per triginta, & amplius annos unicum justum Casuistam inspicere, vel aliquid ex eo memoriæ mandare non permisit. Jam, sicut in quibusdam provinciarum plagis, populis maximè ejusmodi Rectores in cura animarum præsunt, qui præter suum arbitratum dubia resolvendi, regulam nullam habent; de istis jam arbitratoribus quæritur: an rebus sic stantibus usque ad meliorem provisionem obligandi non sint ad sequenda, ni tutiora, saltem probabiliora subjectivè sic visa? si affirmativè: ergò scriptores hunc casum non commiscеant cum Probabilismo generali; sed illum separatim decidant, ne minùs perspicaces scandalizentur. Post hæc subintrat

§. XXX.

Q. 3. An licitum, & tutum sit in dubiis juris naturalis, & divini sequi opinionem minùs tutam, & minùs probabilem ex merо privilegio, & præsumptione libertatis citrà omnem concursum necessitatis, vel rationis extrinsecæ, & gravis? Maximi siquidem refert, ut ista quæstio pro casu meræ libertatis (præscindendo ab omni

concurſu, & influxu cauſæ extrinſecæ) exa-
minetur, decidatùrque: an ſcilicet Pro-
babilismus merè voluptuarius, & innixus
ſolâ probabili legis non exiſtentia, ſit ve-
rè, & univerſim licitus, ac tutus? negati-
va hujus dubii reſolutio, vel limitatio
locum aperit quæſtioni ſequenti; igitur

Q. 4. An, quando, & quænam cauſæ extrinſecæ reddant praxim Probabilismi germaniſſimi maximè tutum, & utilem? niſi enim utriusque partis aſſertores objectum litis, & ſtatum quæſtionis adſ puncta magis reſtricta determinaverint, cum ventis pugnare videntur. Uſus Probabilismi germaniſſimus eſt maximè tutus, ſi non niſi *ex gravi cauſa*, vel *neceſſitate extrinſeca* adhibetur, conced. ſi ex mero Libertatis Privilegio, Neg. donec contrarium melius probetur.

Probabiliorismus germaniſſimus eſt pernicioſus, & degenerat in Rigorismum; ſi manutenetur etiam in concurſu urgentis neceſſitatis in contrarium, *concedo*. ceſſante omni motivo extrinſeco, Nego. vel ubi ſunt rationes id evincentes? diſtinguantur caſus, & ceſſabit cauſa litigii. Iſtud controverſiæ punctum ſequitur.

Q. 5. Utrùm operanti in praxi eligere, & ſequi liceat opinionem ſibi viſam verè probabilem, licet communiori aliorum non appareat, & habeatur ampliùs verè probabilis? vel quod ferè idem eſt: an ſequi

liceat

liceat ſententiam *probabiliter*, & non *certò* probabilem? ſeu eam, quam nonnulli Auctores contrà plures alios ùt probabilem propugnant? licet enim Recentiores Probabiliſtæ paſſim ad licitam ſequelam requirant probabilitatem *certam*, ſeu, quòd opinio debeat eſſe *certò* probabilis; iſtis tamen non obſtantibus alii putant, ſufficere *probabilem probabilitatem*, ùt videre eſt apud Lacroix n. 368. fol. 46. Cardenas fol. 217. & alios utrinque allegatos. Superſedeo pluribus adhuc quæſtionibus, in ordine ad quas ſtatus quæſtionis ſingillatim poni meretur. Cæterùm donec determinetur, quinam ex præmemoratis Probabilismis ſit germaniſſimus, & de quo ſignanter ſit ſermo, quandò is *maxime tutus* aſſeritur? titulus Probabilismi ita mathematicè demonſtrati non abſimilis ſolet eſſe huic: *Syſtema mundi mathematicè demonſtratum*, non addendo: utrùm demonſtratio intelligenda ſit de ſyſtemate Ptolomaico, Tychonico, Copernicano; vel generatim de omnibus per modum unius acceptis; vel de quopiam intermedio; aut demùm de prorſus novo? ut adeo non abs re dici poſſit: *ſtatus quæſtionis in diſputatione de Probabilismo ultimum.* Sexcenti, & ampliùs viri fortes contentionis ſerram ſuper licito, vel illicito uſu Probabilismi à plusquam duobus Sæculis reciprocârunt, quin prævièconventum fuerit: de quo circumſtantiarum ſta-

tu, & de quibus contradictis articulis controversia, & litis contestatio intelligenda sit. Ecce! Probabilismus germanissimus dicitur maximè tutus: & Antiprobabilismus germanissimus maximè pernicioſus. Bene; ſi ita eſt, dicit aliquis iſtis lectis, ut in totius Vitæ meæ actionibus maximè tutus procedam, & ab uſu Doctrinæ maximè pernicioſæ magis abſtineam, ex probatis Auctoribus, & ex Theologis defactò receptiſſimis in compendium redigam hinc opiniones adhuc verè, attamen aſſertas minùs probabiles: & illinc ex oppoſito locabo Sententias, quas Auctores aſſerunt probabiliores; ídque eum in finem faciam, ut has Sententias vitem, & priores in operando perpetuò ſequi ſtudeam. Pronuntiet jam, quicunque unum maximè tutum, & alterum maximè pernicioſum proclamat, pronuntiet: utrùm Vitam maximè tutam ducat, qui nullas, vel rarò alias ſequitur in agendo opiniones, niſi illas, quas in compendio ſuo portatili congeſtas, & à duabus Academiis *ùt verè*, attamen, *ùt minùs* probabiles approbatas ſemper circumfert, & in dubiis practicis ſedulò conſulit: Si dicis, hunc Probabilismi uſum non eſſe germaniſſimum. Dic ſodes! aliquandò palàm, quid reverâ ſub Notione, & nomine Probabilismi germaniſſimi demum intelligatur? dic, quando, & quinam ejus uſus ſit deinque germanus, genuinus, &

maximè tutus? & quominùs in priſtino æquivocationum circulo circumerremus; ſemper ante oculos tenendum, quòd Probabilismus etiam *NB. tenuis* ſit maximè tutus, in caſibus ſc. Neceſſitatis, ita ut ejusdem *non uſus* pro tali neceſſitatis caſu evadat perniciosus. Hoc bene attento, dicatur, quinam, & quandonam uſus Probabilismi ſit maximè tutus.

ANIMADVERSIO XIII.

De dictamine ultimo & reflexo ſuper Licentia operationis.

§. XXXI.

Quid ſit, & quid ſub ratione hujus dictaminis intelligatur; norunt omnes, qui in rebus, & ſtudiis Theologicis de conſcientia peregrini non ſunt. Antequam enim potentia hominis libera exeat in actum liberum, & moralem; debet eidem certum eſſe, vel judicium moraliter certum formari, quòd operatio intenta ſit licita, & nullum hîc, & nunc ſubſit periculum peccati formalis; cùm enim Sententiæ, & opiniones, quas ſequi in operando ſolemus, regulariter ſint tantum probabiles, & conjunctæ cum formidine de peccato committendo; hinc ipſam operationem, quæ ſe-

cundùm talem opinionem formidolosam exequenda intenditur, præcedere debet Judicium aliquod practicum, ultimum, ac reflexum, quo ipsa executio Sententiæ speculativè tantùm probabilis, & includentis formidinem peccati formalis, purgetur ab ipsa formidine, & excludatur ab ipsa operatione omne periculum peccati formalis. Quæritur jam, quinam sit ille Exorcismus, seu remedium efficax, quo ipsa illa actio, quæ ex usu doctrinæ, peccati periculo non carentis, procedit, ab omni formidine, & periculo purgetur, & tuta reddatur? non conveniunt Auctores in qualificando hoc dictamine ultimo: missis tamen eorum differentiis, in hoc communius consentiunt, quod illud dictamen debeat ad minimum esse moraliter certum, & exclusivum omnis formidinis de peccato formali; quòd Principium per modum dati, vel postulati tutò præsupponi potest. Jam, cùm in Sententiis directè, & speculativè certis, vel in stantibus pro lege, adeoque semper tutis, per se ex ipsa objectiva certitudine omne periculum peccati excludatur; de illis hîc nulla remanet quæstio. Idcircò solùm determinandum restat, unde, & ex quo fundamento reflexo in Sententiis merè probabilibus hæc practica certitudo, & exclusio omnis periculi comparari ab operantibus queat? In Scriptis Probabilistarum diversa, & à Priori, &

Posteriori petita leguntur fundamenta, quibus hæc certitudo dictaminis reflexi superstruatur. Primò enim prætendunt, quòd Lex, de cujus existentia, sensu, extensione, vel cessatione diversæ extant opiniones, non sit certa, non sit sufficienter promulgata, & quòd *certum simul sit Legem incertam, & non satis promulgatam non obligare.* Secundò dicunt, quòd, qui ductus gravi ratione de non existentia, & de non obligatione legis agat, sicque utatur libertate sua. *prudenter* agat; certum insuper esse, quòd *prudenter agens non agat illicitè.* Tertiò addunt, quòd operans secundùm Sententias gravissimorum Auctorum, & inter eos secundùm opiniones D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Suarezii, D. Antonini, & similium, certò certiùs licitè & prudenter operetur: adeoque immunis sit ab omni periculo peccati. Quibus Quartò accedit, quòd obligatio semper in praxi sequendi aut tutiora, aut probabiliora foret *nimiùm gravis*, & Infirmitati humanæ *intollerabilis.* Denique concludunt, quòd, cæteris omissis, Quintò in Sententia minùs probabili ex illis ipsis rationibus certum formari possit dictamen, ex quibus illud fieri valeat in Sententia Probabiliori, & minùs tuta. Hæc autem, & consimilium Dictaminum firmitas, & subsistentia certitudinis moralis à Probabilioristis simpliciter contradicitur, & negatur. Rectus

procedendi ordo exigit, ut à disquisitione ultimæ Rationis initium ducatur, unde fit

§. XXXII.

De dictamine ultimo in Systemate Probabiliorismi.

Ne hæc quæstio in abstracto examinata minus claritatis habeat, juvat ad ejus effectum exemplum practicum præmittere. Joan Clericati cum 45. Auctoribus allegatis, & ex rationibus adductis decis. 50. de Sacrificio Missæ docet: esse peccatum grave sine rationabili causa Missæ Sacrificium celebrare Matutini, & Laudum recitatione non præmissa. Sicut executio hujus Sententiæ est certò tuta; & opposita minùs tuta; ita supponitur hìc, ejus negativam esse spectata Auctoritate, & ratione intrinseca Probabiliorem: vel si Suppositum hujus Exempli minùs placeret, lubeat aliud supponere, in quo opinio minùs tuta existat spectatis ratione & Auctoritate Probabilior; ùt complures occurrunt in materia de voto, de Juramentis, de restitutione, circà præcepta Decalogi &c. Istis sic præmissis facilis est Labor, assignare fundamentum omninò certum pro dictamine, & licentia practica sequendi opiniones magis Probabiles; videlicet

Aucto-

Auctoritatem omnium Auctorum, quia à tempore damnati Tutiorismi ſtrictè dicti, nullus mihi notus, & fide dignus Auctor negat licentiam ſequendi opiniones. Probabiliores. Conſequenter omnium judicio, & unanimi Doctorum Suffragio certum fit, id licitum omninò eſſe,; nam ſi ſenſus prorſùs communis, & conſenſus omnium Doctorum de hac materia tractantium ex omni Natione, Lingua, & Populo aliquid licitum, & tutum aſſerit, defendit, atque propugnat, ita ut nemo eis hac in parte contradicat; id ſanè certò certiùs pro licito ſuſtineri poteſt, ac debet. Siquis autem certitudinem hujus dictaminis in forma formata videre cupit, facili id modo ita efformari poterit. Id, quod omnes omninò Theologi, & Juriſperiti aſſerunt, concedunt, affirmant, & propugnant eſſe in praxi licitum (ita ut nullus probatus Auctor ampliùs contrarium tueatur) illud certò eſt licitum; atqui omnes Theologi, & Jurisconſulti modò admittunt, concedunt, affirmant, & propugnant, licitum, ac tutum eſſe ſequi opiniones magis probabiles: ergò id certò debet eſſe, & eſt licitum, ac tutum. Q. E. D. Nihil jam apparet, quod firmitatem hujus concluſionis labefactet: tametſi enim ante damnationem Propoſitionis de illicita Sequela Sententiæ, *vel inter Probabiles Probabiliſſimæ*, aliqui cum Synichio, &

Wen-

Wendrochio absolutum Tutiorismum docuerint; illorum tamen doctrina Certitudini de licentia sequendi probabiliora nunc tam parùm obest, quàm parùm Auctoritas docentium, tenuem Probabilismum post ejus damnationem ullam probabilitatem veram efficere, nunc valet. In concursu opinionis hinc *Probabilioris*, & illinc *tutioris*, licentiam amplectendi, & sequendi priorem, relicta posteriore, nullus Theologorum antiquorum, & Recentiorum negat; saltem nullum, nequidem ab aliis citatum legi, qui illam licentiam post damnatum Tutiorismum impugnaverit: habemus igitur in Systemate Probabiliorismi fundamentum dictaminis reflexi & ultimi certum, clarum, nullis ambagibus involutum, omnibus obvium, & nullis artificiosis filamentis contextum. Et quamvis opinio etiam speculativè Probabilior non careat periculo falsi, & formidinem peccati non omninò evacuet; postquam tamen Sancta Sedes licentiam sequendi Probabilissimam contrà ejus adversarios asseruit (licet neque illa omni omninò periculo falsi careat) facultas sequendi Probabiliora, illo periculo valdè remoto insuper habito, fundatur in ratione Judicii Pontificii, & Sedis Apostolicæ; & hoc judicium in conformitatem communis doctrinæ emanavit. Videndum jam est; an, &

unde in altero Systemate tale judicium practicè certum formari possit.

§. XXXIII.

De dictamine practico in Systemate Probabilismi.

Primum dictamen in Systemate Probabilistico fundatur in hoc, quòd Lex dubia, Lex non certa, non sit sufficienter promulgata, adeoque non obliget; in dubio enim Legis, possidet contrà eam Libertas, & quandò probabile est eam non existere, vel hîc, & nunc non obligare; Lex manet certò dubia: consequenter ex defectu Promulgationis, & Intimationis non obligat; quia deficit essentiale requisitum obligationis. Ita cum P. Lacroix n. 274. de consc. tenet communis Probabilistarum. Si vera est hæc doctrina, uti interim transmitto, tunc per omnes gradus torturæ, & probationes ignis subsistere debet. Initium fiat à Lege Naturali respectu Infidelium, Gentilis, & Barbari, quibus Leges, & obligationes Naturales aliter non innotescunt, nisi per lumen Rationis. De istis ergò Gentilibus, & Barbaris quæritur Primò; utrùm certò excusentur à peccato Formali propter ignorantiam invincibilem, si ducti opinione probabili sibi sic visa, contrà suasum Rationis probabiliorem

rem

rem à cultu Deorum ſuorum non abſti-neant? Deum cœli, & terræ non agnoſcant, revereanturque ? ſi plurima genera pecca-torum Lege Naturali prohibitorum com-mittant, opinione ipſis viſa probabili ita nixi, ut de exiſtentia Legis, & ejusdem obligatione ſint certò magis perſuaſi? Item de Catholico vivente in partibus infide-lium, aut Hæreticorum, vel incarcerato, dubitante de obligatione aliqua Naturali & Divina, deſtituto occaſione inquirendi ve-ritatem, quæritur: an poſſit ſe negativè reſolvere ductus opinione merè Probabili pro Libertate, contrà perſuaſionem Pro-babiliorem de obligatione legis? licet enim Lex Naturalis *ſcripta* ſit in cordibus noſtris quoad Principia Generalia v. g. Parentes eſſe honorandos: Suum cuique eſſe tribu-endum: Non eſſe faciendum alteri, quod quis ſibi fieri non velit; multæ tamen aliæ obligationes ex his Principiis Generalibus deſcendentes dari poſſunt, quas Lumen Rationis in caſibus particularibus, diver-ſisque circumſtantiis non *ut omninò certas*, vel *certo obligantes* proponit; ſed quæ ex una parte *ùt Probabilius obligantes*, ex altera verò *ùt Probabiliter non obligantes* operanti ap-parere poſſunt. Ponamus jam, quod ta-les obligationes operanti ex Lumine Natu-rali ſolùm appareant Probabiliores, iſque ductus perſuaſione minùs Probabili proce-dat relicta Probabiliore agnita ùt tali. Un-

de jam constat, quod taliter agens, *licitè* agat? unde, inquam, constat, quòd nullæ Lex Naturalis, & Divina in casu operationis obliget, *nisi sit certa*; nisi de ejus extensione ad casum oblatum *certò constet*; nisi sensus ejus sit operanti *certus*, & sic deinceps? profectò rari videntur casus, in quibus ex ipso ductu Rationis operanti ita certò de obligatione constet, ut nulla ei relinquatur Probabilitas in oppositum & locus, prudenter hîc & nunc de actuali obligatione dubitandi. Sic homo Christianus ab Infidelibus, & Piratis in Mancipatum ductus ad varia adigi. & malefactor in Inquisitione, vel in quæstione reali constitutus, multa interrogari potest, de quibus dubitet; an sub reatu peccati formalis respondere debeat, vel imperata licitè exequi possit. Si itaque ejusmodi homines re (quantùm in illis circumstantiis fieri potest) diligentissimè apud se perpensa, de Illicentia actionis sint magis persuasi, licet ex gravi ratione probabiliter judicent, actionem magis favorabilem non esse illicitam; de illis jam meritò quæstio instituitur: utrùm sic constituti ex capite ignorantiæ invincibilis à peccato excusentur? v gr. si captivus contra fortiorem persuasionem subjectivam, ductus probabili adhuc judicio de licentia, Imperata faciat: & Inquisitus ex simili persuasione Judici non respondeat juxtà ejus interrogata. Illustra-

tur hæc ratio dubitandi ex Propositione 4. ab Innocentio XI. damnata: sub his terminis: ab Infidelitate excusabitur Infidelis non credens *ductus opinione minùs probabili.* Pater Cardenas n. 10. vult, quòd Infidelis ideò in Rebus Fidei non excusetur, quia per diligentem Investigationem possit venire in cognitionem veritatis, adeoque quòd ejus Ignorantia non sit invincibilis; sed, ut verum fatear, hæc distinctio & explicatio Damnatæ Propositionis mihi nunquam visa est satisfacere; Ratio enim addita (magis Ponderosa esse videtur inferius adducenda) *quòd talis Gentilis per NB. diligentem investigationem possit venire in Cognitionem veritatis*, vel Nimium probare, vel Nihil probare videtur. Nimium probaret; quia gentiles obligaret ad aliquid impossibile; ubi enim investigarent (NB. *Investigatione Extrinseca* cum obligatione inquirendi in Doctorem veritatis) ubi, inquam, investigarent veritatem illi Gentiles, qui ante Prædicationem Evangelii in suis Terris de Fidei Magistro, de Apostolo aut Missionario ne quidem somniarunt? Quem Græci intelligendô semper obligationem Investigationis NB. *extrinsecæ*) cum suo Platone & Aristotele, quem Romani cum suo Cicerone Orthodoxum ad vincendam Ignorantiam suam consuluerint super falsitate Idololatriæ, cum de inquirenda veritate in Israel vix cogitassent? Quem consulue-

rint

rint Progenitores noſtri Germani, de quorum moribus, Religione, cultu Deorum &c. meminit Tacitus; cum illo tempore in Germania necdum exſtiterint Miſſionarii, aut Theologi, quorum conſultatione eorum Ignorantia vinci, & veritas inveniri potuiſſet in Rebus tam Fidei, quam Morum? ut nihil dicam de Barbaris prorſus incultis & remotiſſimis. Adeoque ex hoc ſolùm capite (quoad obligationem Inveſtigationis extrinſecæ) eorum Ignorantia certò non erat vincibilis. Quòd ſi dicas, in tali caſu ejusmodi gentilibus Medium conſequendi veritatem, & vincendi Ignorantiam fuiſſe præter Lumen Rationis (juxta illud Pſal. 4. Signatum eſt ſuper nos Lumen vultûs tui Domine) Providentiam Divinam, & Illuſtrationem Supernam, ùt Theologi cum alleg. Cardina n. 17. communiter admittunt; tunc Ratio ſuperius adducta de obligatione inveſtigandi veritatem, erit ſupervacanea, conſequenter nihil probat. Sit ergo jam Quæſtio ad hunc ſtrictè Articulum redacta, quo Ignorantia per hominem veritatis Apoſtolum deponi non poteſt; ſed vinci unicè debet ex Rationibus Lumine Naturæ cognitis, & Intellectum accedente Luce ſupernaturali (ſiquidem Chriſtus Dominus Lux eſt Illuminans omnem hominem &c. Joan. 1. nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus Pſal 18.) Illuſtrantibus. In hac itaque Hypotheſi

jam quæritur: utrum Infideles Plato, Solon, Aristoteles, Cicero, aliique Gentiles à peccato Infidelitatis excusentur, si ex Ratione & Divina Illustratione *Probabilius* Unum Deum, eundemque Remuneratorem boni, & vindicem mali agnoscant; ducti nihilominus persuasione *minus Probabili* in Idololatria persistant, Deosque suos sylvestres, Lapideos, Ligneos &c. colere pergant? Quæritur, inquam, utrum isti Gentiles à Crimine Idololatriæ excusentur, & Ignorantia Invincibili laborare credantur; donec de Malitia Idololatriæ, de veritate unius DEI ex Rationibus Naturalibus & Illustratione Superna non tantum *Probabiliùs*, sed *omnino certò* fuerint convicti? Dein, etsi daretur, quòd ejusmodi Viri Sapientes perpetua veritatis Investigatione in *Notitiam Certam* de Falsitate Idolorum, eorundemque cultûs Superstitione potuerint ex Rationibus Naturalibus pervenire; Id tamen de aliis Infidelibus Barbaris, & minùs Sapientibus non procedit, ut adeò respectu istorum *Certitudo* non habeatur, nisi ex Speciali Dei Providentia, & Illustratione Intellectûs. Quodsi ergo Deus hominis Gentilis Intellectum ita illustrat, ut Inanitas Deorum suorum, & Veritas Dei Cœlum & Terram gubernantis, cum Immortalitate animæ *Probabiliores* ipsi appareant, ita ut de Majore Probabilitate certò convictus existat; Quæstio supereſt: an

talis opinione ſua *Minus Probabili* ductus excuſetur à delicto Idololatriæ, & non teneatur Infidelitatis ſuæ Sectam deſerere, ac ſolum omnipotentem cœli & Terræ Creatorem adorare? Porrò, cùm *Neceſſitas rectè agendi* in homine Gentili non ſit minor, quàm *Neceſſitatas rectè credendi*; Quæri ulterius poteſt, ſi ejusmodi Gentiles de quibusdam ſuis Actionibus ex Dictamine Rationis vel Illuſtratione ſuperna ſint perſuaſi, eas *Probabilius* eſſe malas & illicitas, licèt ex altera parte ex *Probabili Ratione* ipſis adhuc videantur licitæ ac permiſſæ; Quæri, inquam, hìc poteſt: utrum à peccato Formali excuſentur agendo ex *Probabili* contra *Probabiliorem* agnitam ùt talem? Sic v. gr. Si Barbarus in India, ſi Infidelis ubivis Terrarum ante Prædicationem Evangelii ex Probabili Ratione contra Perſuaſionem Probabiliorem exiſtimavit: acceſſum ad uxorem non ſuam ſub conſenſu Mariti eſſe licitum: Enecationem viri maximè decrepidi, vel vetulæ miſerrimæ ad eorum vota, & petitionem factam non eſſe malam: Expoſitionem Infantium, quandò Parentes eis alendis impares ſunt, eſſe permiſſam. In his & ſimilibus eventibus, de quibus in Hiſtoriis utriusque Indiæ frequens occurrit mentio, quæritur: an locus fuerit Ignorantiæ invincibili in eo, qui relicta majore perſuaſione pro Lege, operandô ſecutus fuit perſuaſionem leviorem,

attamen visam niti fundamento absolutè, & respectivè gravi? Nec obstat, quòd istæ, & similes actiones sint certò illicitæ; nam id verum quidem est respectu nostrûm, & Religionis revelatæ: sed ex hoc nondum sequitur, quòd viventibus extrà Notitiam revelationum scriptarum, & traditarum, ejusmodi opinio ex ratiociniis merè Naturalibus, ex Persuasione Nationis communi, & ex Errore Universali non potuerit videri verè, & absolutè Probabilis. Ex nostris etiam opinionibus sibi invicem oppositis dimidia pars à parte rei certò est falsa; eo tamen non obstante potest, & solet ipsa pars opinionum falsarum nobis apparere ex rationibus pariter in se certò falsis Probabilis. Et hæc ideò prolixiùs tantùm sunt disputata, ut appareat, quòd Ignorantiæ vincibilitas, vel Invincibilitas *in credendis*, & *in agendis* apud plerosque Infideles se eodem modo habeant, & pari jure procedant, quia, si Infidelis à peccato Infidelitatis non excusatur, si ductus opinione minùs probabili Deos suos veros credit; non apparet, quomodò idem à peccato Idololatriæ excusetur, si ductus opinione minùs probabili de licentia cultûs eosdem superstitiosè de more gentis suæ colit, consequenter neque apparet, quomodo à peccatis Adulterii, occisionis &c. excusetur, si ea ex Probabili persuasione, esse licita, contra Probabiliorem, esse illicita, com-

mit-

mittat. Quodsi Deus hominibus Magisterio Doctrinæ, & Prædicationis externæ destitutis veritates ad finem ultimum consequendum necessarias, Lumine rationis, & Illuminatione intellectus reddit verisimiliores, & credibiliores, vel evidenter credibiles (sine evidentia veritatis) non apparet, quòd testimonia divina in cordibus scripta non sint satis applicata ad credendum, ita ut superveniente pia voluntatis affectione, & imperio possit firmissimum, & supernaturalem actum fidei elicere. Verum est, DEus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Et mandata ejus credibilia facta sunt nimis, ita ut cœli enarrent Gloriam ejus, & sonus eorum exiverit in omnem terram; neque facienti, quod est in se, DEus deneget gratiam in necessariis ad salutem, ùt latiùs Theologi cum P. Rassler in norma recti disp. 1. art. 7. à n. 211. Antonio Mayr in trac. de fide cum aliis docent. Sed si DEus Gentes, & Barbaros, ad quos nulla veritatis prædicatio pervenit, facientes cæteroquin, quod est in se, ita illuminat, ut ipsis mandata sua tam credendi, quàm operandi faciat probabiliora, veriora, & credibiliora apparere, & innotescere; de isto genere Gentilium, & Barbarorum, quales nostros olim Teutones fuisse historiis proditum est, quique simul Ministerio Doctoris carebant, restricta agitatur quæstio:

an positivè infideles, & positivè idololatræ ex eo non fuerint, quia illustratio divina obligationem detestandi Deos suos, credendi Deum ex testimoniis universi innotescentem, huncque colendi, & ab illorum cultu abstinendi ipsis non fecit *moraliter certam*, sed solùm *Probabiliorem*? Quis Deum injustitiæ arguet, si hominem positivè Infidelem in credendo, & in operando reputet, eoquòd mandata facta sibi Probabiliora, ex dono Illustrationis internæ non observet.

Nemo non videt disputata hactenus versari in Probabilismo merè, & verè subjectivo sine ulla reflexione ad Sententias inter Doctores antiquæ & novæ legis controversas, ad effectum formandi mihi verum Systema super dubio sic restricto non paucos dato tempore evolvi Theologos, quin in ullo principia adeò coordinata, & ad casum, de quo agitur, præcisè restricta invenerim, ut ex parte hac, vel illa pedem certum figere, & de gradu ad alium gressum certum, & tutum promovere licuerit; sed cuncta meris Theologorum diversis opinamentis inniti reperiebantur, ut ne statum quidem quæstionis ad hypotheses prorsùs diversas aptaverint, sed de diversis gentilium conditionibus eadem principia valere voluerint. Postquam fundamenta probabilismi illimitati mihi videri cœperunt non satis firma; sæpiùs excursionem feci ad antiquorum Scriptorum castra, & exploratum ivi; annon probabilismus objectivus subsidio aliquo gaudeat probabilismi merè subjectivi, ita ut ex SS. Litteris, SS. Patribus, vel ex Scriptoribus authenticis constet, quòd Deus excusatos habeat

beat omnes tam infideles, quàm fideles à pœna transgreſſionis formalis, qui opinione, vel perſuaſione ſua verè probabili ducti aliquid contrà obligationem credendi, vel contrà mandatum agendi commiſerunt; fateor, me cum columba Nœmitica nullibi locum inveniſſe, ubi pedem tutum, & *foramen figere potuerim.*

Ulterior Proſecutio hujus Argumenti de Dictamine Legis non ſatis Promulgatæ.

§. XXXIV.

Nequis autem arbitretur, totum animadverſionis argumentum in alieno ſuppoſito verſari, & extrà Chorum quæſtionis ambulare; cùm Probabiliſtæ ſuum (de Lege non ſatis promulgata) ſolùm intelligant de illis Legibus, de quarum exiſtentia, & obligatione inter Theologos controverſia nunquam finienda obverſatur; econtrà verò deducta hactenus loquantur de Legibus, & obligationibus de ſe quidem, & reſpectu Fidelium certis, at reſpectu Infidelium nonnullorum ex ductu rationis merè Naturalis non ſtatim ſatis cognitis, & apprehenſis: Animadvertendum pro meliore rei intelligentia ulteriùs eſt; quodſi Deus homines Depoſitô Religionis revelatæ carentes à transgreſſione Legùm Naturalium excuſatos non habuit, qui eandem Legum Naturalium obligationem ex ductu Proba-

bilis Perſuaſionis ſatis ſibi promulgatam non judicarunt; ex quo Fundamento, vel Teſtimonio certa fide digno concludi poterit? quòd Fideles à transgreſſione legum Naturalium & Divinarum culpabili ſint excuſandi, ſi eas ducti opinione minùs probabili non obſervent ſub obtentu, quòd nullis niſi certis obligentur legibus. Potuit quidem Deus ter optimus, & Miſericors Infideles facientes cæteroquin donis Naturæ, quod fuit in ſe, de agnitione ſui, de Reſurrectione mortuorum, de Præmiis, vel ſuppliciis æternis, de Immortalitate animæ Miniſterio Angelorum, aut Revelationibus internis certos reddere; ita ut nullus in cordibus eorum ampliùs ſuperfuerit locus aut ratio prudens dubitandi: potuit, inquam hoc ita fieri; ſed quo certo, & fide digno Nuncio nobis conſtat, quòd Infideles Græci, quòd Romani, quòd Germani, & Indi damnabiles, & culpabiles non extiterint per hoc, quòd ſecundùm Leges credendorum, & agendorum non vixerint? de quibus Deus eos per Magiſterium Inſpirationis & illuſtrationis internæ non quidem *certos*, attamen *certiores* fecit; absque eo, quòd ſivè per Angelum, ſive per Prophetam, aut per Apoſtolicam Veritatis Prædicationem ejusmodi docibilibus ſuis aliam, quàm probabiliorem, & credibiliorem, ſeu aſſenſu digniorem de iſtis veritatibus Notitiam, & cogni-

gnitionem neceſſariam eſſe duxerit ; niſi, poſtquam per bonum uſum Primorum luminum ampliores, & majores Illuſtrationes meruerint.

Attentîs itaque, quæ hucusque, non animo aliquid in hoc Divinæ Sapientiæ arcano decidendi, ſed per modum dubii diſputata ſunt ; difficilis ſemper viſa eſt Theſis, & generalis aſſertio quorundam Theologorum, qui cum P. Wagemann p. 1. tr. 3. c. 3. n. 3. in fine ex D. Thoma defendunt: quòd nullus ligetur per Præceptum, niſi mediante *Scientia* illius Præcepti ; neque enim teneri aliquem *credere*, niſi *de revelatione certum*, ergò nec *agere*, niſi *certum de lege*. Sed unde ſcitur, & qua aſſecuratione certi ſumus, quòd Deus nullum aut Chriſtianum, aut Paganum Præceptis Primæ & ſecundæ Tabulæ ligatum velit, niſi *mediante certitudine atque ſcientia* illorum, & nunquam ex *majore Probabilitate*? unde ſcitur, quòd non teneatur Paganus Deum Abraham credere, niſi de ejus Exiſtentia ſit *certus*? quòd non teneatur eum privativè colere, niſi de unitate Dei ſit *certus*? quòd non teneatur ei Spe Præmii æterni, vel timore ſupplicii ſervire, niſi *certus* de immortalitate animæ ? Neque dicas : doctrina de licito uſu probabilium, vel de Dictamine Practico ſe ad neceſſaria Neceſſitate Medii non extendit; quia ibi non agitur de mera licentia actionis, ſed

de Medio unicè Neceſſario. Verum id eſt ad effectum *conſequendi æternam Beatitudinem.* Procedit autem argumentum quoad effectum *ſubeundi pœnas æternæ damnationis* propter *peccata Infidelitatis poſitivæ*; Nemo enim formaliter peccat, niſi ligatus Præceptis, adeoque in ordine *ad peccatum Formale* agitur de mera *licentia actionis*; econtrà *Ratio Medii* reſpicit potiùs *amicitiam Divinam*, & *conſecutionem Salutis æternæ*; quia *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Jam ſi Paganià Legibus Divinis, & Naturalibus ex probabili perſuaſione Libertatis ſoluti, & inculpabiles coràm Deo non ſunt, quomodo Fideles nullis adſtringantur Legibus Naturalibus, niſi *certis*? Licèt ex una parte Divina Mandata facta eis fuerint non quidem *Certa*, ſed tamen *certò Probabiliora*, & viſa *Certò magis vera*; & ex altera parte non habuerint *Dictamen certum* de non Exiſtentia Legis, & de ejus non ſufficienti Promulgatione. Magna inde exurgit veritatis Præſumptio, quòd Fideles non ſint magis exempti & liberi ab obſervantia Mandatorum, de quibus non abſolutam quidem certitudinem, attamen majorem probabilitatem habent.

Structuram hujus Argumenti ut evitent nonnulli Recentiorum cum Cardena hìc n. 6. Rationem damnandi Propoſitionem ſæpè memoratam in eo ponunt; quòd Infidelis ductus opinione minùs probabili à peccato Infidelitatis ideò non excuſetur; eoquòd Ignorantia

rantia hæc circà mysteria Fidei sit vincibilis, & per adhibitam majorem & majorem diligentiam, per consultationem Virorum Doctorum, & per preces ad Deum fusas veritas obtineri possit, id quod locum non habeat in materiis morum, & in Doctrinis inter Peritos perenniter controversis. Sed, quæso, ubi, & in quo Sapientes Græcorùm, Romanorum, in quo antiqui nostri Teutones, in quo Ingeniosi Sinenses cum suo Confucio dubitantes de falsitate suæ Sectæ, & cultûs, majorem adhibere diligentiam, quem Propheterum consulere, & ad quem Deum preces fundere potuerunt, ut victâ ignorantiâ in Notitiam veritatis certam venirent? Quomodò invocabunt, in quem nondum crediderunt? quomodò credent sine Prædicante? Nisi quatenus fuerunt Docibiles Dei per internas illuminationes facientes eis Mysteria Fidei credibiliora, & Probabiliora? Et hinc Thomas Sanchez apud Castropolao Tr. 4. disp. 1. p. 12. n. 12. benè cum aliis citatis à Lacroix n. 458. de conscientia docet, quòd Infidelis in articulo mortis ex probabiliore opinione teneatur relinquere Sectam suam, & Fidei Mysteriis assensum præstare; quia tempus deficit veritatem meliùs inquirendi, & certitudinem consequendi; quæ Ratio ante prædicationem Evangelii in omnibus gentibus, & Barbaris à Populo Dei magis remotis locum habuit. Cùm ergò Ignorantia plerorumque Infidelium per Media Extrinseca (utpote in eorum potestate haud constituta) non fuit Vincibilis; ratio damnationis generalis restringi non potest merè ad hanc vincibilitatem; sed potiùs ad hanc rationem; quia minor Probabilitas à peccato Infidelitatis non excusat. Cla. rescit vis argumenti ex ipso sensu propositionis damnatæ, à Cardena n. 5. sic Explicatæ: „Igitur nullo meliori modo possumus indagare sensum hujus „4. Propositionis damnatæ, quàm ex verbis Au-

tho-

„thoris, qui eam Propositionem asseruit, nempè „Joannis Sancii in selectis disp. 19. n. 7. ubi sic „differit: *Sicut in aliis materiis, ubi offensa mor-*„*talis intercedere posset, fatentur ipsi, eam offen-*„*sam non committi ab operante ex opinione minùs* „*probabili, licet res maximi momenti sit*, Deum *offen-*„*dere mortaliter, vel non; sic quoque ab infidelitate ex-*„*cusatur Infidelis non credens ductus ex opinione* „*minùs probabili.* Hucusque Sancius. Itaque sen-„sus Propositionis est, quòd, sicut in aliis mate-„riis, & Præceptis excusatur homo à peccato, si „sequitur opinionem minùs probabilem de peccato; ita in præcepto credendi (adeoque non quia me-„dio Necessitatis) veritates fidei Catholicæ excu-„sabitur infidelis NB à peccato infidelitatis, si ha-„beat opinionem minùs probabilem (scilicet pro-„babilitate apparente) de credibilitate sectæ erro-„neæ. Ita Cardenas. Jam sic; Joannes Sanchez non loquitur de Infidelitate negativa (quæ licet peccatum non sit, sed potius pœna peccati; me-dium tamen aliquod est ad salutem etiam respectu invincibiliter ignorantis unicè Necessarium, sicut Baptismus) sed loquitur de peccato Infidelitatis formali, & de immunitate culpæ damnabilis; at-qui Infidelis ductu opinionis minùs probabilis non credens non tantum destitutus manet medio salu-tis Necessario, verùm insuper etiam non excusa-tur à peccato formali Infidelitatis positivæ, & damnabilis; & licet sub hoc respectu agatur de mera licentia actionis; nihilominus opinio minùs probabilis ignorantiam non efficit invincibilem; quia satis est mandata nobis esse Probabiliora.

§. XXXV.

Redeundum jam est ad ipsum Examen Dictaminis Practici ex Incertitudine Legis de-

desumpti, & § 33. designati: & ne argumentum in incerto fluctuet, animadvertendum est, quòd regulariter ipsa Lex Naturalis, & Divina, ejusque Promulgatio non sit dubia, sed certa; ita, ut dubia, quæ circa illas oriuntur, solùm se contineant in extensione Legis ad casus diversis circumstantiis affectos. Sic certa est Lex: *Non occides*, & abundanter Promulgata; sed dubium solùm est: ad quos Casus, obligatio istius Legis prohibitoriæ se extendat? & in quibus cesset? Sic quæri potest: an, si alius defensioni locus non datur, liceat privato homini occidere Furem, vel raptorem temporalium v. gr. plurium aureorum? utrùm, & qualem calumniatorem? an falsum accusatorem, & falsos testes? an Marito uxorem in adulterio deprehensam? an, & quandò liceat acceptare, seu non recusare Duellum? Loquimur enim hic abstrahendo à thesibus damnatis; quia illas Catholici Auctores anteà docuerunt. Item certum est quidem mandatum: *non Mœchaberis*; at quæri potest, ad quæ genera cogitationum, tactuum, osculorum &c. se istud extendat? sic etiam non obstante manifesta prohibitione furti, & usurpationis alieni, tamen non desunt opiniones probabiles & Probabiliores de cessante obligatione Restitutionis, & satisfactionis.

Ex Suppositione igitur, quòd Sententia stans pro extensione Legis ad casum controversum sit mihi, & aliis certò Probabilior, ita ut ejus opposita pro Libertate pariter à me, & ab aliis habeatur certò minùs, licèt adhuc verè Probabilis; controvertitur, & quæritur: ex quo Principio, & Fundamento certo formari possit Dictamen practicè certúm? Ad effectum capiendi solidam, apertam, & sufficientem expeditionem hujus Quæstionis, quamvis multos, & multa hinc inde legerim; nullibi tamen certum inveni Principium, vel Responsum solidum. Lustremus fundamenta Probabilismi in Parallelo cum Probabiliorismo, ut contraria juxtà se posita magis elucescant. Jam quòd liceat sequi opiniones Probabiliores negare non possunt, nec solent ipsi Probabilistæ, & id licere modò concedunt omnes Probabilioristæ. Ecce! Principium ab Auctoritate, & consensu omnium Theologorum certum; ergò ex hoc Principio certo pariter certum est, licere sequi Probabiliores Sententias. Sic quòd Lex probabiliùs non existens, & ad casum controversum probabiliùs se non extendens, non obliget, nec sit satis promulgata, defendunt Probabilioristæ, & à fortiori admittere debent Probabilistæ; ergò ex consensu omnium, & ex confessione ipsorum Probabilistarum licitum est sequi Sententiam Probabiliorem. Quòd autem

ex

ex oppoſito Lex, quæ merè probabiliter non exiſtit, probabiliter ad caſum ſe non extendit, probabiliter aliter intelligi poteſt, ſicque probabiliter non eſt ſatis promulgata, atque adeò cujus obligatio propterea abſolutè certa non eſt; quòd, inquam, talis Lex non obliget, & liberum, licitumque ſit ſequi minùs Probabilem ſtantem pro Libertate, concedunt tantùm Probabiliſtæ: at idem ſimul negant Antiprobabiliſtæ, & Probabilioriſtæ; adeoque, cùm Auctores contrà Auctores ex defectu conſenſus communis conſtituant ſolùm Probabilitatem, ideò ex hac parte deficit Fundamentum certum *pro Dictamine Practico, & moraliter certo*; hoc enim ex vulgaribus Regulis non poteſt habere majorem certitudinem, quàm ejus fundamentum continet.

Neque dicatur: quòd propter Auctoritatem Probabiliſtarum contrariam, non conſtet certò de Exiſtentia, & obligatione Legis, & quòd ex eadem Auctoritate Lex, & obligatio ſic dubia, & invincibiliter ignorata in actu ſecundo non ſtringat: concedo enim A. & Nego C. nam propter Auctoritatem Antiprobabiliſtarum neque conſtat de Legis non exiſtentia, & de ejus non obligatione; ergò tantùm probabile eſt, Legem ſic dubiam non obligare, adeoque deeſt Fundamentum certum *Dictaminis practicè certi*; ſed ipſum *Dictamen Reflexum* manet

net

net æquè tantùm *probabile*, ac ipsa Sententia directa, in qua illud formatur.

Sed ne ulteriùs replicetur: quòd ex communi omnium Sententia liceat sequi Probabiliorem: atqui probabilius esse ex majore Auctoritate, & Rationibus Probabilistarum, quòd liceat in Praxi sequi minùs probabilem; ergò ex eo haberi fundamentum, & conclusionem certam. Hæc enim est Insignis illa Æquivocatio, quæ non mihi solùm in studio Theologiæ versanti visa fuit suspecta, sed cujus abusum etiam Colendissimus P. Professor mihi luculenter monstravit. Nam M. hujus Sylogismi loquitur de Probabilioritate *Directa*, & in se tali tam ob Rationes intrinsecas quàm ob Auctoritatem Doctorum; in m. vero sermo est solùm de Probabilioritate *reflexa*, & solùm Extrinsecè tali, ac ex vaga Auctorum multitudine exsculpta. In forma respondeo D. M. ex communi omnium Doctorum licet sequi Sententiam Probabiliorem *Directè*, atque ob rationes intrinsecas (præter Auctoritatem) *in se talem*, C. M. tantùm *reflexè*, atque ob Auctoritatem ex Multitudine Doctorum vaga extortam *solùm extrinsecè talem*, N. M. & sic proportionaliter Distincta m. Neg. C. ac suppositum, quòd hæc Probabilioritas Reflexa & Extrinseca efficere possit Dictamen ultimum Practicum & moraliter certum; nam Resolutio & Sententia Practica debet esse *moraliter certa*, consequen-

quenter debet inniti Principio certo, quale præmissus discursus minimè suppeditat, ùt patet in hoc consimili argumento. Ex communi omnium sententia Judici licitum, & permissum est sequi Doctrinas Probabiliores: atqui probabiliùs est licere sequi minùs probabiles: ergò etiam Judici licitum erit procedere secundùm hanc Doctrinam; siquidem, ut in conclusione resultet, & inferatur dictamen certum, & non tantùm probabile, utraque præmissa debet in eodem univoco sensu esse certa, & neutra tantùm probabilis, aut etiam probabilior; etsi enim per indulgentiam concedatur, Probabilismum esse *Probabiliorem*; hæc tamen major Probabilitas procul abest, ut suppeditet pro Dictamine fundamentum certum, quia Probabilioritas nondum certitudinem constituere solet. In Probabiliorismo verò semper subsistit fundamentum ex Auctoritate omnium Theologorum, & ex ratione Sedis Apostolicæ Tutiorismum damnantis certum, ex quo hæc univoca consequitur illatio: communis omnium consensus nixus ratione, & Auctoritate Judicii Apostolici parit certitudinem moralem; sed communis omnium consensus nixus ratione, & Auctoritate Judicii Apostolici admittit, & tenet, licere certò sequi sententias directè probabiliores: ergò id certò est practicé licitum. Donec ex altera parte Principium similiter

certum afferatur, tædium foret ulteriori juſtificationi hujus argumenti diutiùs immorari.

Cæterùm, ſiquis meditationibus hujus controverſiæ tempus, & animum non præoccupatum tribuere voluerit; amplum inveniet campum ad non paucas, & graves reflexiones. Sicſi Judæus, ſi Iſraelita in antiqua lege nullis fidei, & credendi præceptis fuit ligatus, niſi *mediante ſcientia* de teſtimonio divino, de ejus ſenſu, & obligatione pro caſibus, de quibus dubitatio incidere poterit; ſi Hæreticus, vel Judæus de infallibilitate Eccleſiæ non certus, non tenetur, niſi mediante teſtimonio S. Scripturæ *certo*; ſi homo Chriſtianus nullis tenetur obligationibus Divinis, & Naturalibus, niſi mediante *ſcientia* de ejus exiſtentia, de ſenſu, de comprehenſione caſûs, & de nullo interventu excuſationis probabilis; ſanè magno opus erit aſcetæ meditabundo certamine, & victoria, donec intellectum de veritate, & ſecuritate hujus licentiæ, & immunitatis convincat, aut perſuaſum reddat. Intelligè ſemper pro caſibus, quibus veritas certa haberi nequit. Poteſt quidem Clementiſſimus Deus ſervos ſuos ab obſervatione mandatorum, de quorum obligatione non habent certitudinem, excuſatos habere; verùm, utrùm de facto fidelis habeatur, & juſtus ille ſervus, qui nullis, niſi certis vult obſtrictus eſſe præceptis; de hoc magna eſt quæſtio in lege, & hujus mathematica exſpectatur demonſtratio.

De Dictamine practico ex prudentia utentis Probabilismo.

§. XXXVI.

Secundum fundamentum, ex quo Dictamen ultimum, & moraliter certum Probabiliſtæ deducere nituntur, reponitur in prudentia operantis ex gravi Ratione, & ex opinione inde verè probabili, ùt ſuprà §. 32. inſinuatum eſt. Quid de hoc Principio, & fulcro dictaminis practici ſentiendum ſit, paucis expendendum eſt. Imprimis prudenter agere eum, qui in dubio opinionum ſequitur aut tutiorem; aut probabiliorem partem, ex ſuffragio Doctorum unanimi certum eſt. Utrùm autem prudenter agat, qui ex ratione ſpeculativè tantùm gravi (rationibus gravioribus, & opinionibus probabilioribus, & tutioribus inſuperhabitis) ex uſu meræ Libertatis ſequitur opinionem minùs probabilem; æquè in quæſtione eſt, ac illud, de quo quæritur; quia fundamento hujus prætenſæ *Prudentiæ* omnes Antiprobabiliſtæ contradicunt, & falſum pronuntiant. Quòd opinio aliqua directa, quæ niti cognoſcitur gravi ratione, *prudenter credatur eſſe probabilis*, facilè concedo: conſequenter quòd eam etiam in praxi *prudenter liceat ſequi* (ſi accedat nova ratio practica, & extrinſeca; ùt ſuprà explicatum fuit) pariter concedo;

quodsi autem dicta ratio Practica desit, totus Chorus Antiprobabilistarum illationem absolutè negat; adeoque ipsa certitudo Principii est æquè in quæstione, ac ejusdem illatio prætensa ùt certà; nam Prudentia actionis (quam gravissimi, & plurimi Theologi, ac viri Religiosissimi cum P. Rassler, Gonzalez, & aliis Recentioribus non agnoscunt, sed absolutè negant) quomodo dici potest certa? at si illa certa non est ex principio tantùm dubio, & probabili, quomodò Dictamen certum inferri poterit? Sed, ut incertitudo assertæ Prudentiæ ampliùs pateat; consideremus Oeconomiam Argumenti ex alio puncto, & inferamus sic: Qui ultrò, nulla necessitate vel gravi ratione extrinseca cogente, ex mero exercitio & jure Libertatis suæ plura, & plura committit peccata mortalia, licèt materialia tantùm, vel qui saltem se ultrò sic committit certiori, & majori periculo Deum graviter, licet tantùm materialiter, offendendi; is certò non agit *prudenter*: sed qui sine necessitate, vel gravi causa extrinseca ex mero jure Libertatis suæ sectatur opiniones, cognitas ùt minùs probabiles, & minùs tutas, ille se ultrò exponit periculo majori, & certiori plura committendi peccata materialia: ergò non agit *prudenter*. Quis enim unquam Herus, aut Paterfamilias ad servum suum dixit, vel dicturus est: Euge serve bone!

pru-

prudenter egisti, quia nullam meam voluntatem fecisti, de cujus existentia, insinuatione, intelligentia, extensione, & non revocatione, non eras undequaque certus, ne secùs faciendo incideres in Probabiliorismum maximè pernicioſum ? Dum hæc mecum ita perpenderam, videbar mihi audire ſibilum leniter auribus meis insusurrantis : mi bone! hæc non est genuina mens Probabilistarum ; eousque genuinus Probabilismus fines exemptionis suæ à subjectione Legum Divinarum, & Naturalium non extendit. Credo hoc, & lubens credo; sed, cùm utilitas, bonitas, & securitas Probabilismi per ingentia volumina super tecta, & in pulpitis deprædicentur (quin certi, & perspicui statuantur, aut designentur limites, ad quos Probabilismi usus licitus se extendat, & ultrà quos terminos ille evadat illicitus) tunc generaliter loquendo hæc de Probabilismo Doctrina non potest non in multa variorum abusuum Zizania excrescere ; nam si usus Probabilismi non semper, & ubique (quoties de mera agitur licentia actionis) est licitus, & tutus, tunc utentes illius Privilegio ante omnia admonendi desuper, & certificandi erunt, quousque illius usus sit certò licitus, ne Libertatis nimii assertores pro usu usurpent abusum, & custodiam Legum prætermittant, ubi eas impunè non licet prætermittere.

De Dictamine Practico ducto ex Auctoritate Doctorum.

§. XXXVII.

Hæc ratio Dictaminis reflexi non uno, ab omnibus modo deducitur. Non defuerunt imprimis ex Probabiliſtis, qui variis in occaſionibus auctoritatem Antiprobabiliſtarum adeò deprimere, & quaſi pro nihilo reputare non dubitarunt, ut Poſteriorum Doctrina *de illicito uſu Probabilismi* vix manere ampliùs verè probabilis videri potuerit; adeoque, cùm oppoſita doctrina propter eminentiorem Probabiliſtarum Auctoritatem (ipſorum ſaltem opinione) ad certitudinem proximè accedat; certum inde enaſci fundamentum pro *Dictamine ultimo* pariter *certo* aſſeruerunt; præſertim, cùm ex altera parte Probabiliorismi generatio cum Familia Janſenismi multum affinis eſſe videatur. Sed quamvis Reverentia, & Exiſtimatio, quæ utriusque Partis Patronis debetur, difficilem reddat expeditionem hujus diſcurſûs, neque opus videatur, ut abſoluto judicio determinetur, cuinam parti Auctoritas numero, pondere, & menſura major ſuffragetur; illud tamen bonâ omnium Probabiliſtarum veniâ teneri poſſe exiſtimo, quòd numerus, dignitas, & fundamenta Antiprobabiliſtarum efficiant ſuum Syſtema ita certò probabile, ut

ejus

ejus oppoſitum nullo modo dici poſſit *certum*, ſed ad ſummum *tantùm probabile*; Probabilitas autem pro Dictamine, & concluſione certa nullum ſubminiſtrat Principium, & præmiſſas certas. Profectò ſi, cæteris omnibus omiſſis, ſolos ſpecto Inſignes Antiprobabiliſtas, qui ex ſola Inclyta Societate licitum eſſe Probabilismum negarunt, Comitolum ſcilicet, Thyrſum Gonzalez, Elizalde, Camargum, Æſtriſium, Munieſſam, Blancum, Antoine, Antonium Mayr, Raſslerum &c. qui attentis rationum graviſſimarum fundamentis, quæ ab ipſis non minùs profundè, quàm ſolidè deducuntur, faciunt Sententiam ſuam *certò* (ne dicam evidenter) *probabilem*; eſto enim, quòd alii Societatis Doctores cæteroquin illis fuerint eminentiores, nullus tamen eximius Suarezius, nullus profundus Vaſquezius, Eminentiſſimus Lugo, vel conſultiſſimus Molina materiam iſtam ex inſtituto ita examinavit, uti Doctiſſimus P. Raſsler, P. Thyrſus Gonzalez, Elizalde, & conſimiles alii argumentum hoc in toto ac in partibus ſuis diſcutiendô exhauſerunt. Vim argumentorum, quibus Probabiliſtæ ſuum de Licentia Probabilismi Syſtema fulcire nituntur, ſiquis perpenderit (lecto, & ritè intellecto Tractatu P. Raſsleri de Norma Recti) lubens fatebitur, quòd omnia Recentiorum argumenta ibidem jam in anteceſſum præoccupata, & ſoluta inveniantur,

ut mirum ſit, quomodo eadem toties repetantur, quin ad præoccupatas Solutiones ulla habeatur attentio. Imo quod plus eſt, prælaudatus Auctor ita videtur hac in parte omni exceptione major; tam ſolida affert argumenta; & adducta in contrarium ita ſolvere videtur, ut, ſi unquam aliàs unicus Auctor poſſit facere opinionem probabilem juxtà tradita per P. Lacroix n. 155. id certò hîc de doctrina ab iſto Theologo propugnata intelligi debeat.

Alii Probabiliſtæ ſic formant ſuum ex Auctoritate Dictamen practicum moraliter certum. Multò major Pars Doctorum docet, licitum eſſe ſequi ſententiam verè probabilem: ergò prudenter me conformo ipſorum Doctrinæ.

Veneror Auctores hujus illationis; ipſam illationem venerari & probare non poſſum; nam magna, aut major pars Doctorum nondum fundat Principium certum, ex quo concluſio, & dictamen pariter certum deduci, & inferri legitimè queat. Magna pars Doctorum docet, non eſſe licitum ſequi opinionem merè probabilem, ergò prudenter judico, id non eſſe licitum, conſequenter utrinque datur Probabilitas, ſed neutra ex parte certitudo; hoc enim loco non agitur de Sententia directa, ſed de Principio fundânte dictamen certum, ùt ſuprà jam animadverſum fuit.

Neque dicas: licitum eſt docere licentiam practicam Probabilismi; ergò licita eſſe debet ejusdem ſequela. Nam pari modo dici valet: licitum eſt docere illicentiam practicam Probabilismi; ergò ejus ſequela practica non eſt licita. Et ſic de reliquis Dictaminum formulis procedit retorſio, ita ut earum vel major, vel minor propoſitio, aut utraque ſimul ſit in quæſtione, & æquè incerta, ac ipſa illatio, quæ inde deducatur. Omnes Antiprobabiliſtæ Nomen, Laudésque celebrabunt Auctoris Probabiliſtæ, qui Suppoſitum vel Principium attulerit ita certum & extrà controverſiam poſitum, ut ex illo *Dictamen ultimum certum* de certa licentia actionis, & de indubia excluſione omnis formidinis peccati formari, & deduci poſſit. At omnia, quæ hactenus allata fuerunt, Principia adeò non ſunt certa (ſed tantùm probabilia) ut ipſa hæc Egeſtatis ratio ſtatum cauſæ, non uſquequaque bonæ, non obſcurè prodat. Huic objectioni, & difficultati ut ſatisfaciat non nemo Recens Pithanophilus, Principium certum ſubminiſtraturus, argumentum ſuum ita inſtruit, & aſſerit: omnes, & ſingulæ Sententiæ Theologicæ D. Thomæ ſunt ab Eccleſia poſitivè approbatæ, ita, ut quælibet D. Thomæ Sententia ſit tuta, & tutiſſima in praxi; atqui D. Thomas complures Sententias docuit contrà Leges, & contrà mentem D.

Bonaventuræ *merè probabiles* : ergò ex judicio Ecclesiæ Sententiæ D. Thomæ etiam *merè probabiles* sunt *practicè tutæ*. Brevitatis studium non permittit hujus argumenti Soritem , & concatenatas illationes in extenso huc transscribere ; sed totius argumenti Architectura legi poterit in opusculo Probabilismi methodo Mathematica demonstrati à pag. 174. defin. 21. cujus argumenti mathematica demonstratio pro mea tenui capacitate paucis in eo consistit : omnes tam D. Thomæ , quàm D. Bonaventuræ Sententiæ Morales ex judicio , & approbatione Ecclesiæ sunt practicè tutæ ; sed D. Thomas , & D. Bonaventura tenuerunt Sententias invicem oppositas, adeoque merè, vel minùs probabiles ; ergò ex judicio Ecclesiæ , & approbatione ejus licitum est sequi opiniones omnes, & singulas D. Thomæ , & D. Bonaventuræ, licèt tantùm probabiles , sine attentione & reflexione ad majorem , vel minorem probabilitatem. Ita in summa ille Scriptor arguere videtur. Videndum jam est, quid, & quantum huic Argumento tribui jure debeat.

§. XXXVIII.

Majoris claritatis , & brevitatis causa maneamus in Sententiis D. Thomæ , & disquiramus : an, & quousque omnes , & singulæ ejus opiniones ex judicio & approba-

tione

tione Ecclesiæ certitudinem practicam consecutæ fuerint; & insuper: an, & ex quo Principio usus Probabilismi universim exinde fundamentum reflexè certum obtinuerit? Nam innumeræ occurrunt Sententiæ probabiles in Moralistis, de quibus S. Thomas nec verbum, nec mentionem fecit. Quòdsi igitur Sententiæ S. Thomæ ex approbatione Ecclesiæ certitudinem reflexam, & practicam consecutæ sunt, idem dictaminis reflexi principium ad aliorum Moralistarum opiniones non potest extendi, eoquòd eorum Doctrinæ non sint ita ab Ecclesia approbatæ; si enim S. Doctor Sententias quasdam contrà Leges pro Libertate tenuit, & defendit de se minùs probabiles; illarum usus non ideò est tutus, quia sunt, & manent minùs probabiles; sed, quia oraculo, & Judicio Ecclesiæ extrinseco omnes ac singulas S. Doctoris Sententias approbantis, factæ sunt in praxi certò tutæ. Sententiis quippè generatim, & singilatim omnibus D. Angelici non fiderem, nisi ad id me moveret; Judicii Apostolici Auctoritas ejusdem scripta sic, ùt præfertur, approbantis. Idem procedit de Doctrinis S. Bonaventuræ. Hæc ex suppositio, quòd D. Thomæ „ *quælibet sententia seorsim* „*accepta sit positivè approbata, ita ut nulla sit,* „*quæ non sit positivè approbata.* ùt Pithanophilus pag. alleg. defin. 22. tenet.

Ve-

Verùm ſicut hujus ſuppoſiti veritas quaſi indubitata, ac certa pro fundamento ſubſternitur; ita viro in rebus Theologicis magìs verſato difficultas nulla erit, illius principii vacillationem omnium conſpectui exhibere. Ecce! Pithanophile, teſtes, & probationes hujus veritatis. Sub annum 1387. quidam Frater Ordinis S. Dominici inter alias theſes etiam non nullas propugnavit Piæ opinioni de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ adverſarias, quas cùm Academia primùm Pariſienſis, dein Archiepiſcopus, ad examen vocatas cenſorio ſtigmate percuſſerint, Auctor illarum Joannes de Monteſono horum Judiciis non acquieſcens ad Summum Pontificem appellavit; at licèt dein etiam à Summo Pontifice Pariſienſis Præſulis Sententia fuerit confirmata, pravas ille tamen opiniones ex eo capite defendere non ceſſavit, eo quòd eædem ſuæ propoſitiones potiſſimum in Doctrina D. Thomæ (cujus Sanctitas, & Doctrinæ puritas ab Eccleſia fuerit ſolenni judicio approbata) fundentur; dictus enim Joannes de Monteſono in ſupplici libello Summo Pontifici porrecto inter cætera ex eo ſibi injuriam fieri conqueſtus eſt, quòd (cùm Stephanus Epiſcopus Pariſienſis, & Urbanus Papa V. in Diplomate ad Toloſanam Academiam dato, Doctrinam D. Thomæ tanquam Benedictam & Catholicam à Fidelibus & Studiorum Cultoribus teneri,

ac pro viribus propagari præcepiſſent) ſibi vitio duceretur, Doctrinæ S. Doctoris inhærere. Non eſt hìc equidem mei propoſiti indagare, aut determinare, cuinam parti hac in materia B. V. Conceptionem concernente Doctoris Angelici ſuffragetur Auctoritas; cùm probè ſciam, eum non minùs ab Auctoribus B. V. Mariam ſine labe conceptam (ùt par eſt) aſſerentibus pro ſe citari: hoc ſolum addo, quòd adverſus errores præfati Joannis de Monteſono, Petrus de Alliaco Theologus Pariſienſis mox Eruditum Tractatum ediderit, in quo inter alia ſibi probandum ſumpſit, Doctrinam S. Thomæ non eſſe *NB.* uſquequaque probandam, quia in ea non una contrarietas, & repugnantia contineatur, id quod multis Exemplis ibidem probatum ivit.

Exempla, in quibus S. Doctor contrarietates, & repugnantias docuerit, affert Alexander Natalis in Hiſt. Sæc. XIII. Tom. 16. n. 4. artic. 16. Prolixiùs autem totius rei diſcurſus, & exempla legi poſſunt in appendice ad opera Petri Lombardi Magiſtri Sententiarum; ubi exempla doctrinæ non ſatis probatæ tam in rebus fidei, quàm morum afferuntur. De priori genere Petrus de Alliaco loc. cit. ſex exempla affert, ex quibus Alexander Natalis quinque in ſua Hiſtoria recenſet, quorum primum eſt; quòd S Doctor I. Sententiarum diſt. 11. art. 4. admittat Divinum Patrem, & Filium tanquam duos Spiratores, ſicut Spirantes, id quod tamen erroneum in Theologia habeatur: videatur communis Theologorum cum Petavio l. 7. de Trinit. c. 10.

n. 16.

n. 16. Alia, & ulteriora exempla legi possunt apud citatos Auctores. Nec juvat dicere, quòd S. Doctor q. 36. art ult. in Summâ suam istam sententiam correxerit; nam verum quidem id est; sed aliud est ibidem eum aliter docuisse, & aliud, quòd priora sua dicta ibidem expresse retractata à se esse declaraverit; adeoque manet verum, quòd repugnantia docuerit, ùt dudum allegatus Petrus de Alliaco in pluribus exemplis ostendit.

§. XXXIX.

Alteri hic insuper Animadversioni locus aperitur. Si omnes Sententiæ, quas D. Thomas, & D. Bonaventura sibi invicem contrarias docuerunt, Ecclesiæ approbatione sunt ratihabitæ, tunc nulla adesse videtur ratio negandi, quòd eodem jure simul approbatæ Judicio Ecclesiæ censeri possint opiniones, quas idem S. Thomas successivè diversas, & sibi oppositas defendit. Si enim omnes Sententiæ approbatæ, & probabiliter veræ, ac tutæ reputari possunt, quas diversi Theologiæ Principes Magistri tradiderunt sibi directè oppositas; tunc ejusdem etiam in Theologicis Scientiis Principis S. Thomæ contrariæ Sententiæ suffragio Sedis Apostolicæ censeri possent simul approbatæ.

Succedit alia Reflexio. Ecce! norunt omnes in Scriptis S. Thomæ non peregrini, quòd is in posterioribus operibus multas anteà traditas Sententias signanter retractaverit, & complures adhuc retractaturus

rus fuiſſet, ſi diutiùs vixiſſet, vel ſi adhuc hodiedum in Scientiarum luce viveret. Ipſe enim S. Doctor teſte Petro de Alliaco in fine Prologi, librorum ſuorum Lectoribus ſupplicaſſe ſcribitur: „Siquis aliquid invene„rit non concordanter, ſi non ſit manife„ſta cauſa dicendi, ex quo ſecundùm Hi„larium accipienda intelligentia dictorum; „diſcretiorem, & magis exercitum conſu„lat. Si verò non fuerit inventum, quòd „utrumque ſtare poſſit, id *NB.* illorum „eligat, quod magis conſonum veritati ju„dicaverit. Alterum vero *NB.* nosmetip„ſi revocaremus, ſi talis diſcordia nobis oc„curreret. „ Si ergò S. Doctor complures ex ſuis Sententiis ipſe in vivis revocavit, emendavit, correxit, & contrarium prioribus docuit; & ſi diutius ſuperſtes adhuc plura emendaturus fuiſſet, & propterea Lectores ſuorum operum, viros diſcretiores & magis exercitatos conſulere juſſit; qua veriſimili ratione ſuſtineri poteſt, quòd omnes, & ſingulæ S. Doctoris Sententiæ Judicio Apoſtolico ſint approbatæ? Fortaſſe aliquis Pithanophili Patronus cogitat, & exiſtimat omnes D. Thomæ Sententias concernentes diſciplinam morum eſſe Eccleſiæ Judicio ùt practicè probabiles approbatas. Sed, poſtquam in hujus quoque exiſtimationis veritatem non nihil propiùs inveſtigaveram, non paucas inveni in S. Doctore opiniones, de quibus meritiſſimo jure du-

bia-

bitatur: utrùm ex Sedis Apostolicæ Judicio cum calculo approbationis hodiedum easdem ad praxim deducere, & practicè tenere liceat? Ex pluribus pauca adducamus Exempla. Primò S. Thomas in duobus locis, videlicet in 4. Sent. dist. 17. q. 3. a. 3. & q. 8. in Summæ suppl a. 2. docet: moribundum teneri in necessitate, ac in defectu Sacerdotis confiteri laico; & licet hæc confessio non sit Sacramentum, esse tamen Sacramentale; & sicut Baptismus in necessitate suscipi possit ac debeat, ita etiam confessionem laico fieri oportere. Estne hæc Sententia singilatim ab Ecclesia approbata? D. Thomas Secundò, teste Thoma Sanchez apud Lacroix n. 161. docuit, quòd omnes gradus affinitatis, & consanguinitatis, in quibus matrimonium Levit. 13. prohibetur, faciant illud jure Naturæ illicitum; quod tamen nunc teste prædicto Lacroix *est improbabile*. Ergò ab Ecclesia non est hæc opinio approbata, aliàs non posset dici improbabilis. Idem Tertiò in 1. 2. q. 74. a. 8. claris verbis docet, quòd circà quæstionem, an consensus in delectationem sit peccatum grave, aliqui diversimodè opinati sint, ita ut quidam dixerint, quòd consensus in delectationem non sit peccatum mortale, sed veniale tantùm; alii verò dixerint, quòd sit peccatum mortale, & hanc opinionem esse *communiorem* & *verisimiliorem*. Ita S. Doctor loco citato in corpore. Si ergò poste-

rior

rior opinio juxtà assertionem D. Thomæ solummodò est *verisimilior* & *communior*, tunc altera opinio docens, consensum in delectationem non esse mortale, ex ipsa S. Doctoris relatione censeri debet, ac potest verè probabilis, adeòque ex Regulis Probabilistarum erit etiam practicè tuta. Quodsi dicas, aliunde constare, quòd hæc opinio non sit amplius Probabilis; ergo, ego infero; ipse concedis, quòd non omnia & singula in D. Thomæ Scriptis contenta usquequaque sint Judicio Ecclesiæ approbata. Quartò juxta Salmanticenses tr. 17. §. 3. n. 20. ex Doctrina D. Thomæ ad valorem voti requiritur *animus illud adimplendi*; & sic longè plures in vastis Angelici Doctoris operibus reperiuntur opiniones, & Doctrinæ, de quibus prudenter dubitari potest, utrum mens, & intentio Ecclesiæ unquam fuerit eas singilatim approbare. Ecclesia, & Patres conciliorum scripta SS. Patrum innumeris extollunt Encomiis, & suffragiis approbationum, ùt bene suprà memoratus Petrus de Alliaco advertit; quin tamen ex eo inferre quisquam hucusque præsumpserit; quòd ex Judicio Ecclesiæ omnia SS. Patrum Scripta, & asserta errore careant. Ipse P. Lacroix loco jam allegato n. 161. apertè supponit, & innuit, non omnes S. Doctoris opiniones esse adhuc probabiles; etsi omnes ejusdem Sententiæ ex judicio Ecclesiæ supponantur absolutè probabiles,

& tutæ. Aut cur Scotiſtæ, & Recentiores toties cum Reverentia ab ejus Doctrinis recedunt? Reſtat adhuc Quartum fundamentum Dictaminis reflexi nonnihil examinandum, petitum ex gravitate oneris ſequendi in praxi opiniones probabiliores.

Utrùm onus nimìs grave ſequendi in praxi opiniones tutiores, aut probabiliores fundet principium pro dictamine ultimo moraliter certum?

§. XL.

Sunt, qui arbitrantur, onus tam pro doctis Confeſſariis, & aliàs in praxi verſantibus, quàm pro rudibus nimis grave, & intollerabile fore, ſi eosdem obligatos velimus ad ſequendas in praxi opiniones aut Probabiliores, aut Tutiores; propterea exinde rationem reflexam profluere exiſtimant, ex qua ſequela Probabilismi practicè tuta, & Dictamen ultimum *Certum* reddatur. Dicunt enim Probabiliſtæ cum P. Roncaglia priùs Probabilioriſta & facto dein Probabiliſta „quis vel ſtudendo, & præcipuè „dum audit Confeſſiones, poteſt omnia „momenta utriusque partis librare, & in„de definire: hoc eſt minùs probabile: hoc „eſt probabilius? hoc eſſet onus intollera„bile. Satis mihi fuit in praxi ſequi Senten„tias, quas rationabili fundamento nixas pu-

„putavi, & ita credidi ſatisfeciſſe meæ „conſcientiæ, absque eo, ut Judicem me „conſtituerim inter opinionem minùs, & „magis probabilem. Ita vir ille Religioſiſ„ſimus apud P. Joſephum Biner p. 1. c. 2. n. 49. de effectu legis.

Obligatio ſemper ſequendi probabiliora, aut tutiora magnum onus operantibus, & verſantibus in exercitio practico imponit: & hæc intollerantia nimii oneris una ex præcipuis eſt rationibus extrinſecis, ex quibus Dictamina practica videntur formari poſſe; omnes enim admittunt, quòd Lex viribus humanis non commenſurata, & cujus obſervantia onus inſupportabile humeris imponit, non ſit Rationabilis, adeoque nulla. Supereſt igitur ſolùm inquirere; utrùm, & quatenus obſervantia Probabiliorismi onus aliquod nimiùm grave, aut omninò intollerabile importet? poteſt iſthæc quæſtio conſiderari primo reſpectu rudium, ſeu illiteratorum; dein reſpectu Doctorum, & inter hos nominatim quoad Confeſſarios. De Probabilismo quoad Confeſſarios cùm in peculiari obſervatione acturi ſimus, reſtat examen de hominibus indoctis, & Doctis non Confeſſariis.

Homines rudes, & illiteratos quod attinet; illi pro rectificandis ſuis actionibus aliam communiter Regulam non habent, niſi inſtitutionem Parochi, & doctrinas Confeſſarii, vel alterius viri prudentis; ad cu-

jus consilium in casibus dubiis recursum habere possunt, ac solent; vel in casibus, ubi alios consulendi deest facultas, dictamen conscientiæ propriæ illis pro regula subjectiva & proxima servire debet. Jam si homo rudis, & plebeius in Institutione Catechetica, in concione, vel in confessione audit, & intelligit, hoc, vel illud genus actionum esse licitum; hunc vel illum contractum non esse illicitum; in hoc, vel illo casu non dari obligationem restituendi; licitam esse compensationem occultam: talis opinionem Parochi, Confessarii, aut alterius viri probi tutò sequitur; quia tali homini veritatem Doctrinæ examinare non valenti hæc Parochi assertio est unicè probabilis, & æquiparatur certitudini morali. Adeoque pro tali casu nulla remanet difficultas, vel onus nimiùm grave; cùm in rebus etiam fidei eadem disciplina locum habere noscatur. Sed quæstio circà homines rudes ad eum maximè reducitur articulum; utrùm talis in necessitate se resolvendi constitutus generatim, & universim licitè agat, si copiâ alios consulendi destitutus (quando actio, à qua non libenter abstinet, ipsi ex probabili persuasione, & ex fundamento viso gravi, non apparet illicita, quamvis ex altera parte probabiliùs simul illicita videatur) se resolvat, & dicat: non teneor ab ea abstinere, eoquòd à Parocho non semel intellexerim, quòd

non detur obligatio sequendi probabiliora. v. g. ponamus famulam, vel ancillam, à qua Herus varia obsequia liberiùs exigit, aut ea permitti sub gravissima indignatione postulat, de quorum licentia Puella meritò dubitat; & sic quotiescunque contingit, ut homo illiteratus in instanti ad ponendam, recusandam, aut omittendam actionem se resolvere debeat; quæritur jam, utrùm talis licitè, & tutò agat, si ductus opinione, vel persuasione adhuc probabili de licentia contrà probabiliorem mentem de peccato, se ad actionem resolvat? Credo, quòd usus probabilismi maximè tuti ad ejusmodi probabilitates merè subjectivas se non extendat.

Loquendô verò de nimio onere respectu Doctorum, dictum jam superiùs est, licentiam, & facultatem Probabilismi tunc non negari, nec in dubium vocari, quandò *necessitas extrinseca*, quandò *salus proximi*, aut *gravis ratio* ejus usum in casibus particularibus efficiunt vel unicè tutum, vel prudenter Eligibilem; sed in præsenti de nullo alio controvertitur usu Probabilismi, nisi de illo, qui ex mero Libertatis privilegio, & præcisè ex defectu Legis satis promulgatæ exercetur, & defenditur, in quibus casibus prætensi oneris ratio omninò cessare noscitur.

ANIMADVERSIO XIV.

De Confessario Probabilista.

§. XLI.

Maxima pars difficultatis ex usu Probabilismi resultantis se tenere contenditur ex parte Confessarii Probabilioristæ, eoquòd in concursu copiosi populi, in multitudine circumstantiarum, in occursu diversarum difficultatum gravissimum foret explorare, & scire, quænam opinio sit probabilior, & cujusnam opinionis usus in casu occurrente existeret tutior; hinc Confessario satis esse debere, ajunt Probabilistæ, si opiniones, ex quibus statum confitentis discernit, eique consulit, sint verè probabiles.

Memoratu dignum est, quod Cl. P. Biner in sua Historia Probabilismi de duobus Confessariis Probabilista uno, & altero Probabilioriſta refert: quorum primus suprà nominatus Roncaglia est, qui contestatus est, quòd in audiendis Confessionibus, & dijudicando statu pœnitentium insistendo systemati Probabiliorismi subsistere haud potuerit. Et alter est R. P. Thyrsus Gonzalez, qui profitetur, quòd in innumeris Confessionibus etiam generalibus excipiendis nullam specialem expertus fuerit difficultatem in observantia, & sequela do-

doctrinæ Probabilioris. Quo ſenſu veritatis hæc aſſertio accipienda, & intelligenda ſit, nonnulli hæſitant; ego nullus hæſito, neque alius hæſitandi cauſam inveniet, ſi diſcernenda ritè diſcernat.

R. P. Roncaglia prætenſam difficultatem in eo ponit, quòd tam ſtudentibus, quàm præcipuè Confeſſariis nimiùm grave foret, utriusque partis momentis libratis definire: *hoc eſt Probabile*: *hoc eſt Probabilius*. Poteſt hæc difficultatis ratio duplici modo conſiderari; Primò nempe quoad Sententias objectivè, & ſpeculativè inter Auctores probabiles, & probabiliores; & Secundò circà applicationes probabilis, vel probabilioris Doctrinæ ad caſus, & dubia practica expedienda. Loquendô jam de opinionibus Theologorum theoreticis, nemo P. Roncagliæ facilè fidem habebit aſſerenti, quòd neſcierit, quænam opiniones in materiis magis practicis, & frequentiùs occurrentibus ſint probabiles, vel probabiliores; nam ſi non vacat rationum momenta librare, tunc opinio notoriè, & notabiliter communior jure præſumitur eſſe defactô Probabilior, poſtquam iſto eruditiſſimo ævo omnes Doctrinæ, & Sententiæ magis practicæ cum ſuis rationibus intrinſecis centies, & centies fuerunt ad libellam probabilitatis ponderatæ. Quòdſi igitur pars Theologorum certò, & notabiliter major dicat: hæc opinio eſt communior, eſt probabilior, eſt

in praxi tenenda, ita ut altera asseratur apertè minùs probabilis, minùs communis, & practicè minùs tuta; quivis, sanè, Confessarius, & Doctor in materiis magis obviis, & in Confessionali sæpiùs occurrentibus scire valebit sententias probabiles, & probabiliores, ex quibus quantitas, qualitas, species, & numerus peccatorum, necnon & obligationes restituendi, deserendi occasiones, & consuetudines, cæteraque dispositiones pœnitentium cognosci, & desumi possunt. Pluris opus non est, quàm obvios omnibus Theologos inspicere v. gr. P. Sporer, P. Holzmann, Elbel, Amort, Reiffenstul, Laymann, Lacroix, Corella, & similes alios facili pretio parabiles, in quibus ubivis fermè nominatim expressum inveniet: hæc Sententia *est communior*: est *vera*: est *probabilior*: est in praxi *tenenda*: ab ea non facile *in praxi recedendum*; licet contrarium multi probabiliter defendant &c. consequenter vir officio Confessarii non indignus quoad dignoscendas Sententias objectivè magis, & minùs probabiles nullam attentione dignam sentiet difficultatem. Verùm tota, si qua subesse solet, difficultatis ratio se demùm tenebit ex parte applicationis practicæ, & decisionis casuum particularium ad normam, & præscriptum opinionum minùs, aut magis probabilium; seu quod idem est: ipse usus, & actualis applicatio Probabilioris-

mi in praxi difficultatem maximam parit. Sed dixi ſæpiùs, & hìc denuò repeto, ſi ſtatus, vel diſpoſitio pœnitentis, ſi circumſtantiæ extrinſecæ, ſi ſalus animarum, vel quævis alia gravis ratio faciunt uſum Probabilismi maximè, vel unicè tutum, tunc Probabilioriſtæ quoque cum Thyrſo, & Raſslero admittunt uſum Probabilismi; quia pro tali caſu non *ſupereſt probabilius*; & ejusmodi concurſus rationum extrinſecarum non quidem ipſam opinionem directam, ſed ejus uſum practicum faciunt probabiliùs, imò ferè unicè tutum, & ſaluti pœnitentium proficuum, ùt ſuprà cum Lacroix tenent, & admittunt ipſi Probabiliſtæ. Id quod cùm etiam in tenui Probabilismo, & quidem in materia Sacramentorum quoque procedat, inde nullum concipere licet argumentum pro generali licentia Probabilismi. Nullis autem coincidentibus ejusmodi momentis extraneis evaneſcunt monſtra difficultatum exiſtimata.

Ut autem examen hujus thematis pro ratione dignitatis altiùs perpendamus; notandum hîc eſt, dupliciter pœnitentis ſtatum à Confeſſore ſpectari debere; nempè quoad actus præteritos, & quoad vitæ rationem in poſterum tenendam: de præteritis commiſſis judicari debet ſecundùm conſcientiam, quam pœnitens in operando habuit ſive rectam, ſeu invincibiliter er-

erroneam; ex hac enim tanquam Regula proxima actionum (loquendô de *præteritis*) & non ex Sententiis Doctorum etiam certis, judicium de qualitate, & quantitate peccatorum formari debet: ſin cum dubio practico pœnitens operatus eſt, ratione periculi, cui ſe expoſuit, peccaſſe indubium eſt.

Cardo igitur potiſſimæ difficultatis reducitur ad diſpoſitionem, & directionem pœnitentis in futurum; quatenus ille v. g. nixus opinione, vel perſuaſione aliqua probabili nolit reſtituere aliena bona, & famam: nolit vitare occaſionem peccandi, aut familiaritatem cum altero ſexu: ſi ex probabili quorundam permiſſione renuit certa media adhibere ad vincendam, vel rumpendam, qua diutiùs laborat, conſuetudinem peccandi: ſiquis vitæ genus, & adminiſtrationem officii ſui plus non curat, niſi in illis, à quibus nulla probabili ratione ſe excuſatum ſupponit. Circà tales pœnitentes jam practicè inquiritur, quomodo Confeſſarii ſe gerere poſſint, ac debeant, & quid pro talibus maximè expediat? paucis, quas Sententias ſequi Confeſſarius univerſim debeat? videlicet, an debeat potiùs benignas, quàm rigidas cum pœnitentibus ſuſtinere? Pro expedienda iſthac quæſtione mihi doctrina à P. Lacroix P. 2. n. 1737. fol. 310. tradita tantò magis placet, quantò meis Principiis conformior exiſtit:

ita

ita enim dictô locô differit. „Deinde, quæ „sunt pro majori utilitate pœnitentis, agit „enim vices Christi, qui hoc Sacramen„tum instituit eo fine, ut prosit pœniten„tibus. Prætereà, *si possit*, *debet sequi tu„tiores*, nam sine justa causa velle se, aut „pœnitentem exponere periculo erroris, „quantumvis materialis, est imprudentia: „unde si pœnitens ostendat, se paratum ad „sequendum id, quod est probabilius vel „tutius, *tenetur Confessiarius*, *per se loquendo*, „*eum dirigere secundùm opiniones probabiliores & „tutiores.* Quomodo autem Confessarius „possit aut debeat aliquando se accommo„dare opinioni pœnitentis, dixi l. 1. àn. „443. potèstque videri Aversa hìc q. 16. „fol. 12. qui in omnibus consentit.

„§. 2. Non potest universaliter determi„nari, utræ opiniones, benignæ an rigi„dæ, hìc & nunc fructuosiùs teneantur, „sed attendendum est ad circumstantias; „prudentia enim dictat, ut utar probabili, „& minùs rigida, ubi non videtur profu„tura rigidior: Econtrà ut utar rigidâ, „ubi sine incommodo fieri potest, secun„dùm jam dicta. Et præscindendo ab opi„nione rigidiore, vel benigniore, si pœni„tens velit dirigi secundùm opinionem „suam probabilem, & Confessarius sit in „opposita quamvis probabiliore, Confes„sarius tenetur eum post audita absolvere, „uti ostendi Lib. 1. àn. 443. pro qua Sen-

ten-

„tentia vindex Gobati ad prop. 26. nomi-
„natim, & adductis locis refert 65. gra-
„ves Authores. Cùm enim sit dispositus,
„positâ Confessione habet jus ad absolutio-
„nem; ergò &c. Ubi Clar. Auctor optimè
animadvertit; quòd, *si possit*, debeat Con-
fessarius *sequi tutiores*; quia *sine causa justa* vel-
le *se*, aut *pœnitentem* exponere *periculo erro-
ris quantumvis materialis*, *esset imprudentia*,
& in hoc Principio sanè conveniunt, vel
convenire debent omnes sani Probabilistæ;
sicut è contrario Probabilioristæ negare,
aut reprobare non possunt usum Proba-
bilismi pro casibus, & concursu circum-
stantiarum, quæ eum pœnitentibus maxi-
mè, vel unicè profuturum, ac tutum red-
dunt.

At, si ita conveniunt utriusque disciplinæ Magistri, & Principia Doctorum; ad quid prodest iste animadversionum conatus, & finis? multùm sane: nam, cùm ex Probabilistis complures usum Probabilismi generatim proclament maximè utilem, & maximè tutum, ìdque evincere laborent ex rationibus generalibus: quatenus lex non certa non sit satis promulgata, & propterea non obliget: quòd sequens Sententiam probabilem, & nixam gravi ratione prudenter agat: quòd de lege directa non constet &c. quæ, sicut generaliter asseruntur, ita nata aptáque sunt incautos, & in veris Theologorum princi-

piis

piis non ſatis verſatos in errores inducero; hinc operæ pretium non defuturum exiſtimavi, ut cuique Syſtemati ſuus locus, & uſus expreſſiùs deſtinetur. Si enim Confeſſarius, quatenus poteſt, tenetur ſequi probabiliora, aut tutiora: ſi imprudenter ageret, quatenus ſe, & pœnitentem periculo erroris etiam materialis *ſine juſta cauſa exponeret*; jam corruere intelligitur generalitas argumentorum: quòd de reflexa obligatione ſufficienter non conſtet: quòd lex directa, & obligatio tantùm probabilior non ſit ſatis promulgata: vel quòd denique generatim prudenter agat, qui ſecutus opinionem probabilem operatur; quia iſta generalia teſte Lacroix, & aliis Probabiliſtis ſolùm procedunt tunc, quando juſta cauſa id exigit, qua ceſſante Confeſſarius obligatus manebit ſequi partes tutiores; adeoque Confeſſarii (quantùm fieri poteſt, & per circumſtantias pœnitentis licet) debent eſſe Probabilioriſtæ, ita ut imprudenter agant, ſi absque juſta cauſa extrinſeca pœnitentes ſecundùm doctrinas minùs probabiles, & minùs tutas dirigant, & diſponant. Poſſet veritas hujus Theſis, ſi opus foret, pluribus Auctoritatibus, etjam Pontificia, & Epiſcopali confirmari, quibûs Confeſſarii hortantur, ut quantùm fieri poſſit, doctrinas in praxi ſequantur probabiliores, & magis tutas.

Col-

Colligitur prætereà ex dictis: Confessarios illos officio suo non benè fungi, qui consulentibus (an hoc, vel illud non sit prohibitum, aut illicitum) ex opinione minùs probabili illicò respondent negativè, sine mentione contrarii magis probabilis, & magis tuti; neque curant, aut explorare studeant, utrùm pœnitens paratus non sit ad sectanda tutiora: an, & quæ causa subsit, ex qua à sequela tutiorum excusari possit? Sæpè enim contingit, ut Pœnitentes ipsi Scrupulis, & dubiis angantur, & propterea à Confessariis scire, & instrui cupiant; an hoc, vel illud possint facere? vel utrùm teneantur sub peccato abstinere? & non pauci sunt ex Confessariis, qui sic interrogantibus sine omni ulteriore cura, quoties probabilem aliquam opinionem favere animadvertunt, respondent: eos non teneri abstinere ab intentis actionibus: posse eos in continuandis negotiis, de quorum licentia dubitabant, persistere. Utinam nulli darentur Confessarii, qui omnium opinionum probabilium apparatum colligunt, ut semper parata habeant Sententiarum directoria, ex quibus absolutiones consuetudinariorum, occasionariorum, & alieni detentorum justificentur; gloriæ enim sibi nonnulli ducunt, quòd per totum vitæ tempus nullum pœnitentem sine absolutione dimiserint; quamvis non desint pœnitentes, qui Confessariis

ſuis in vita, & morte gratias acturi eſſent, ſi eos per obſervantiam diſciplinæ ſeverioris à viis iniquitatum, & à diuturna conſuetudine peccandi retractaſſent.

Frequens aliquando fui in excipiendis Confeſſionibus, & parùm forte abeſt, quin mille Confeſſiones generales audierim; at cum ſenſu veritatis atteſtari valeo, quòd plus Conſolationis retulerim, & ſenſerim, quandò à principiis probabilioribus ſine neceſſitate non receſſi, quàm dum pœnitentium votis, & prætenſæ fragilitati magis indulſi. Rara non ſunt lamenta peccatorum reſipiſcentium, & conteſtantium, quòd tam profundè non fuiſſent lapſi, nec tot annis in perverſa vitæ conſuetudine perſeveraſſent, ſi priores Confeſſarii partes officii ſui ſtreniùs egiſſent; quæſiti ſiquidem, an tempore malæ conſuetudinis aliquando, & ſæpius fuerint peccata ſua confeſſi? reſpondent, ſæpiùs ſe quotannis confeſſos fuiſſe; ſed, cùm indulgentiores Confeſſarii de ſincera, & efficaci emendationis voluntate non multùm ſolliciti fuiſſent, minùs ſe remediis ſeverioribus inſtitiſſe; hinc accedente adhuc propria incuriâ factum eſſe, ut de miſeria ſtatûs ſui, aut de efficaci emendationis proposito ſeriò non cogitârint. Fatentur ejusmodi peccatores perfrequenter, quandò poſt vitam diutiùs in ſceleribus transactam tandem reſipiſcunt; quòd ipſimet credant,

&

& ex certa perſuaſione ſupponant, ſe per 10. 20. 30. aut ampliùs annos nunquam fuiſſe validè abſolutos; quia Confeſſarii æquè parùm, ac ipſi de vero, & ſincerò ſtudio emendationis ſolliciti fuerint, ſed verbis emendationem ore ſpondentibus toties quoties fidem adhibuerint. Et hæc eſt una ex juſtiſſimis querelis, quam non ſemel à Zeloſiſſimis Miſſionariis audivi; quòd Confeſſarii reperiantur, qui omnipotenti brachio ſuo omnia ſolvant, & omnes confitentes abſolvant; ita ut nunquam utendum arbitrentur poteſtate ligandi. Non ſine experientia loquor, ſi affirmo, multos veniſſe, & cum conſolatione animi gratias egiſſe, quòd per denegatam, aut dilatam abſolutionem, per vivacem oſtenſionem ſtatûs miſeri, in quo verſabantur, & per adhibita alia media oportuna, & ſeveriora ad ſeriùs recogitandum, & perpendendum vitæ ſuæ ſtatum permoti, inductique fuerint. Nullius autem recordor, qui veniſſet, & gratum ſe ſtiterit propter indulgentiam cum ipſo habitam. Si ex illis (qui forte ſine abſolutione dimiſſi aliquando fuerunt) poſt aliquod tempus redeuntibus quærebatur, utrùm ab aliis intereà non fuerint abſoluti? & illis affirmativè reſpondentibus, ulteriùs interrogabatur, cur nihilominus huc veniant, & abſolvi denuò ab illis ipſis peccatis petant? non rara ſolet eſſe hæc reſponſio: licet fueri-

mus

mus ab aliis absque difficultate absoluti; quia tamen in conscientia nunquam fuimus quieti & contenti, utpote satis agnoscentes, justam tunc fuisse denegandæ nobis absolutionis causam; idcircò statuimus hûc redire, ut conscientiæ nostræ securè consuleretur.

Neque dicatur: peccatores, præsertim, qui in abysso iniquitatum hærent, per rigorem, & severam tractationem in desperationem facili modo conjici, ita ut semel, vel iterùm repulsi non ampliùs revertantur. Ita est, rigor, austeritas, inclementia, & modus procedendi indiscretus peccatores ad desperationem adigunt. Sed est modus in rebus, nec debent rotunda cum quadratis confundi. Utique prudens Confessarius non debet esse austerus, impetuosus, admirabundus, tristis, inhumanus, aut rigidus: neque debet pœnitentes in profundo peccatorum suorum hærentes increpare, vel severè arguere; sed ratio officii postulat, ut venientes ad se meritrices, publicanos, & peccatores suaviter, & benignè recipiat; desperabundos de effectu emendationis, in spem misericordiæ divinæ certam erigat, ac bono animo eos esse jubeat; in Examine conscientiæ, & recolendis præteritæ vitæ rationibus dextrè adjuvet, eosque ad spem divini Auxilii animet; & ita in tanto conversionis negotio erga pœnitentes se exhi-

hibeat, ut illi de ſincero adjuvandi Zelo convicti ſint: Si tunc Confeſſarius manſuetus, & diſcretus peccatoribus ſeriò converti volentibus, media ad veniam & ſalutem æternam conſequendam proponat certa & probabiliora, ſimulque eos de periculo minùs probabilium & minùs tutorum admoneat; fidem oppignoro meam, quòd peccatores de ſalute ſua ſolliciti de longè ſint adventuri, & negotium animæ ſuæ libentiùs tali Confeſſario commiſſuri, quàm ulli alteri, qui, neſcio quo commiſerationis affectu, vel timore non diſplicendi perſonæ, intima morbi in ipſa radice non audet fidenter attrectare, ſed meris probabilitatis fomentis acerbitatem vulnerum lenire ſatagit: Experientia ſiquidem compertum habetur, quòd ipſi etiam pœnitentes ſpiritualis medici indulgentiam non rarò advertentes, cum ejusmodi palponibus non ſoleant eſſe contenti; ſed illorum curâ poſthabitâ, præferre ſoleant medicum exactiorem, à quo per medicamenta tutiora & probabiliora (licet ſimul acerbiora) ſanitatem certam, & tranquillitatem conſcientiæ plenam conſequantur.

Quid autem Confeſſario Probabilioriſtæ faciendum, ſi pœnitens renuit adhibere media probabiliora & ſecuriora ſub obtentu, quòd ex aliorum judicio viæ ſuperſint mitiores, & adhuc tutæ, nec adſit obli-

ga-

gatio ſequendi vias magis tutas &c. ? difficilis non eſt ad ſimilia objecta reſponſio. Ecce ! mi bone (reponet promptus Confeſſarius) non deſunt quidem aliqui pauci vel etiam plures Doctores, qui vias haſce adhuc probabiles, & propter probabilitatem, quam habent, ſatis tutas, & ſecuras exiſtimant; ſunt autem alii longè plures, qui ſecuritatem nullam in illis agnoſcunt. Si ergò alia non vis via incedere, niſi iſta probabili (relicta probabiliore & ſecuriore) tuô periculô poteris; nec ego audeo divinæ miſerationi limites ponere, neque volo iſti opinioni in quopiam derogare; poterit enim eſſe, ut Deus operantibus ex probabili ejusmodi doctrina nullum imputet peccatum: Sin verò in ſupremo judicio res aliter evenerit, mihi tunc interitum tuum non poteris imputare vel exprobrare, ſed potiùs tibi ipſi, & illis, quorum conſilia, & ancipites probabilitatis ſemitas conſectari placuit. Quòd ſi autem vias rectas, quas tibi ſecuriores, & certò tutas oſtendo, tenere viſum fuerit; nomine ejus, cujus vices in Confeſſionali ſuſtento, vitam æternam, & remiſſionem peccatorum tuorum tibi ex hac parte promittere certus audeo. Quid enim proderit aliquando & tibi pœnitenti, & mihi Confeſſario, ſi, poſtquam te per vias tantùm probabiles duxero, ambo detrimentum ſalutis incurramus? Ecce, mi bo-

bone, tu potes negotium ſalutis curare ſecundùm præſcriptum, & regulas diſciplinæ ſecurioris: nulla obſtat inſuperabilis difficultas: Dei majeſtas meretur, & forte ſub peccato exigit hoc obſequium: qua ergo de cauſa non malimus partes tutiores eligere, quàm ex mera libertate, & prætenſa exemptione à legibus & obligationibus, incertis veſtigiis & ſemitis merè probabilibus inhærere?

Iſtam tractandi Pœnitentes methodum ſi Confeſſarius Probabilioriſta tenere voluerit, experientia teſtatum faciet, quòd nequidem ex longinquo ullum timendum ſit periculum deſperationis; è contrario fortè Probabilismus faciliorem ad deſperationem viam ſternit; quia peccatores, qui à viis ſuis peſſimis non deſiſtunt (eoquòd per Probabilismi fomenta vis mali, & radices corruptionis rarò vel nunquam tollantur) à Deo tandem derelicti in Satanæ laqueos incidunt.

Potiſſima difficultas ſe tenere conſuevit in faciendis reſtitutionibus, & in reparandis damnis, ſiqua diverſis tempore, & modo non ſine culpa proximis fuerunt illata; ſed & hunc nodum expertus & exercitatus Confeſſarius haud difficulter ſolvere valebit. Si enim egeſtas damnificantis ſatisfactionem impoſſibilem reddit: vel ſi promptus Zachæus omnia poteſt, & paratus eſt abundanter compenſare, omnis

per

per se cessat difficultas. Quòdsi non quidem absoluta impossibilitas, attamen gravissima difficultas compensationem damnorum difficilem faciat, & simul probabilis aliqua doctrina talem damnificatorem ab onere restitutionis excuset; inhærendo principiis suprà firmatis in tali casu licitus est usus Probabilismi; non quia opinio est de se minùs probabilis; nec quia Probabilismus quà talis generatim est licitus: sed quia ratio difficultatis extrinsecæ usum Probabilismi hìc, & nunc magis, vel'unicè tutum reddit. Cæterùm veritati non ero iniquus; si fidenter asseram, quòd medio hujus refugii in millenis, & millenis confessionibus rarò, vel nunquam fuerim usus. Sed cum licentia Pœnitentium sive per litteras, sive mediantibus Parochis, damnificatorum animos ad condonationem, & remissionem debiti solicitavi, ac pro debitoribus ignotis vix non semper, etiam ab Acatholicis, eandem impetravi: hoc modo curati Pœnitentes in conscientiis suis eam quietem, & tranquilitatem se sentire professi sunt, qualem apud medicos benignos exhaustis etiam probabilitatis officinis invenire frustrà fortè tentassent.

Illud etiam exercitati Confessarii mecum experti sæpiùs fuerint, quòd plurimi pœnitentes in animæ suæ morbis difficilioribus, & in casibus intricatis per longas,

& moleſtas curationes optatæ valetudini, & tranquilitati ideò non potuerint reſtitui; quia Spirituales Medici de circumſtantiis vitæ ruralis, de moribus populi pagani, de commerciis, de uſibus, & abuſibus inter Plebeios frequentibus, adeoque de ſtatu morbi informationem, & experientiam non habent. Hinc unus ex hoc, alius ex alio ſuppoſito de obligationibus pœnitentis judicat, & ſtatum morbi non ex opinionibus objectivè, ſed ex rationibus merè ſubjectivè probabilibus, & ſibi beneviſis tractat; cùm tamen Confeſſario rerum intelligenti, & perito non deficiant media certò profutura, & rationes expeditæ, quibus quadragenarius Paralyticus cum exultatione animi ſui valetudini diû deſideratæ illicò reſtituatur. Si hæc, quæ hìc de erroneis Fori interni judiciis memorata ſunt, rara, vel in regno veritatis omninò peregrina videbuntur credibiliora evadent, ſi conſiderentur fata judiciorum Forenſium. Verſati in rebus judiciariis perbenè norunt; quòd Jurisperiti magis theoretici, quàm practici (licèt cæteroquin ſint primi Subſellii Magiſtri) in ſuis conſiliis doctrinalibus, in reſponſis juris, in votis extrajudicialibus, vel etiam in ſuffragiis judicialibus à toto Scopo veritatis, & Juſtitiæ non rarò aberrent; quia ex defectu Experientiæ practicæ, & dexteritatis diſcretivæ, in formanda ſibi facti Speciè

cie erroneum Syſtema concipiunt; quia cùm ſtatum factorum genuinum exploratum non habeant, fieri neceſſè eſt, ut formata inde dubia ex legibus iſtuc non quadrantibus reſolvantur. Ecce! præſupponitur ſtatus quæſtionis: præmittitur aliqua geſtorum ſeries: inde formantur plures, aut pauciores quæſtiones juris: Capita deciſionum conglobatis legibus, textibus, Doctoribus, & rationibus firmantur. Omnia bene! & tamen totum nihil valet; quia ex parte facti aliqua vera ſupponuntur ſine probatione, cujus tamen contrarium in defectu probationis concludentis jura præſumere jubent; quia Partium aſſertis, absque ullo indagine veri, fides ſimpliciter adhibetur; quia veritatis ſimulacra, & veriſimiles conjecturæ pro abſoluta veritate recipiuntur; Ideòque falſis ſuppoſitis falſa applicantur jura. Cùm econtrà Judices utriusque fori ab experientia cauti, & in praxi exercitati facilè animadvertant, quouſque verbis confitentium fides ſit tribuenda; adeóque neutiquam dubiis factorum acquieſcunt, ſed juſtificationi factorum tamdiu inſiſtunt, donec de genuina, & adæquata rerum ſerie ſint plenè, & certò informati: quibûs omnibûs ex parte facti in liquido poſitis, negotium grave non erit enatas inde difficultates, & quæſtiones ad trutinam Juris certi expedire.

Confeſſarii etiam ſuo tempore Doctiſſimi, imò & Theologiæ Magiſtri (quos tamen nulla adhuc experientia fecit practicè perſpicaces, nec ſedula inveſtigatio & deprehenſio errorum, in dijudicandis factis reſolvendisque dubiis commiſſorum, reddidit ſagaces) non raro tam ex errore *facti* ſibi non ſatis comperti, quàm *Juris* non benè perſpecti, ſuos confitentes variis defatigabunt obligationibus; licèt *certi* non deſint *Juris tituli*, ex quibus à præſtandis imperatis & impoſitis oneribus deobligentur. Sicut è contrario alii exiſtimabunt, pœnitentem ab hac vel illa obligatione ex probabili opinione eſſe ſolutum; ubi tamen exercitatus in Praxi & rerum intelligens indubitatam ex Legibus certis obligationem agnoſcit. Non nullis firmiſſima inſidet perſuaſio, quòd nullus Antiprobabiliſta in excipiendis Confeſſionibus ſine uſu Probabilismi ſubſiſtere valeat; eoquòd Antiprobabiliſtæ ipſi vel inviti ad Probabilismi armamentarium recurrere, & inde ſubſidia Reſolutionum emendicare cogantur. Si autem Exempla Caſuum, qui ſine ſubſidio Probabilismi expediri nequeant, ab eis petas; alia afferre nec ſolent nec poſſunt, niſi talia, in quibus difficultas (ſiqua ſubeſt) non tam ex parte *Cauſæ*, quàm ipſius *Confeſſarii* ſe tenere deprehenditur; ſæpe enim cauſa ipſa in ſe ſpectata per Principia certa facili conatu poſſet expe-

diri,

diri, nisi ipse Confessarius vel *Ignorantiâ Facti* (quam tamen per diligentiorem inquisitionem facilè posset vincere) vel *Ignorantia Juris* sibi ex defectu Studii non satis cogniti & perspecti, laboraret. Sæpissimè autem in ipsum Probabilismum ejusque sinistrum usum totius difficultatis culpa potest rejici. Sanè in multis ejusmodi casibus uniformis & menti Legislatoris conformis Resolutio dari posset; nisi Probabilismus (generalem illum, illimitatum, nec justis terminis circumscriptum intelligo) per varias in omni Legum materia adinventas exceptiones, limitationes, relaxationes &c. tricas moveret, sicque causam rei magis intricatam, ejusque Resolutionem difficilem redderet. Consideremus rem in Exemplo. Titius Subdiaconus & Theologiæ Moralis adhucdum Studiosus inter alia in Confessionali se accusat. I. Quòd Breviarium, ad cujus recitationem tam vi Ordinis quàm titulo Beneficii tenetur, inter meras distractiones etiam voluntarias sine ulla devotione interna, sola contertus superficiali attentione consistente in articulata verborum pronunciatione, recitare consueverit. II. Quòd eodem modo se gerat in auditione Sacri diebus Festis & Dominicis, utpote in qua solam externam ad actiones Sacerdotis attentionem adhibeat, animô interim liberrimè ad alia distractô, & omnis ad pieta-

tem motûs experte. III. Quòd, licèt jam 21. annos compleverit, diebus tamen Jejunii duas integras Refectiones, præter plures per diem interpolatas comeſtiones, ſumere ſoleat; eoquòd Studium Morale & Juris Canonici præter inſtructionem Liberorum cujusdam Mercatoris non *minùs laborioſum* judicet, quàm officium Scribæ, quem tamen notus quidam Centuriator cum duobus à ſe citatis Auctoribus à Lege Jejunii excuſet. IV. Quòd non raro ſe largiori potu ita inebriet, ut pedes vacillent, lingua titubet, oculi duplicia cernant, caput gyretur, memoria ſepeliatur, vomitus ſequatur, & ſolùm adhuc aliqua inter bonum & malum advertentia remaneat. V. Quòd Beneficium ſuum obtinuerit per Artes juxtà probabiliorem quidem plurimorum Auctorum Sententiam Simoniacas, juxtà probabilem tamen aliquorum adhuc licitas, & ab hac labe immunes. VI. Quòd ex joco, levitate, petulantia, & *affectu ſolummodò ſenſuali ac naturali*, & benevolentiæ augendæ (*non tamen ad Delectationis venereæ*) cauſa ſubinde ſoleat per oſcula, amplexus, & compreſſiones manuum liberiùs cum altero ſexu agere; & licèt ſubinde delectatio venerea præter ſuam intentionem ſuboriatur, ſe tamen eâ repulſâ mox deſiſtere. Et in his omnibus ſe (formato dictamine reflexo ſibi moraliter certo) non cognoviſſe culpam mortaliter

talem; eoquòd juxtà probabilem quorumdam Doctorum apud Busenbaum l. 3. tr. 4. c. 2. dub. 1. resol. 3. & 4. culpam venialem non excedant. VII. Quòd quidem adhuc plurima haberet peccata tam positivè quàm negativè dubia v. g. utrum non consenserit in tentationes carnis: utrum nimiùm potandô non pervenerit ad crapulam Theologicam: utrum contrà contubernalem non foverit inimicitiam gravem: Item, utrum peccata quædam gravia, certò à se quondam commissa, jam confessus fuerit, nec ne. Sed quia juxtà Probabilem Sententiam quorundam hæc tria genera peccatorum dubiorum non sint necessaria materia confessionis; Ideo se ea non judicare hìc pluribûs circa Numerum & speciem esse exprimenda. &c. Quid jam de hoc statu Titii Confessarius Antiprobabilista, quid Probabilista judicet? Equidem Probabilista conformiter ad sua Principia judicare debebit, statum Titii non esse adeò malum; quia omnia, quæ confessus est, juxtà Probabiles opiniones quorumdam Doctorum (ùt in eorum Libris invenire est) vel omni culpa vacant, vel venialem non excedunt. Sed Antiprobabilista quid de statu Titii judicet? quid ultimatò resolvat? præcipuè si instet Titius utpote in Principiis Probabilismi versatissimus, quòd de horum omnium licentia sibi formaverit dictamen reflexum suô judi-

diciô moraliter certum. Id quidem meum non eſt hìc loci determinare. Dico tamen, ſi ſuis Principiis firmiter inſiſtat, facilem inveniet Reſolutionem. Sed quid, ſi cogitabundus hæreat? tunc dico, & infero: ergò verum eſt, quod ſuperiùs dixi, quòd ſæpiſſimè in ſimilibus caſibus totius difficultatis culpa non in Antiprobabilismum, non in Confeſſarium Antiprobabiliſtam, ſed in ipſum Probabilismum nimis generalem, nec juſtis limitibus circumſcriptum, adeòque fœcundiſſimam ad progignenda innumerorum abuſuum Zizania parentem rejicienda ſit. Quid enim de Titio quondam ſperandum, imò quid non timendum eſt, ſi Paſtor animarum, ſi Parochus evaſerit? Si enim tunc in eæpta vitæ ratione pergat; ſi oviculas juxtà ſua Principia Probabiliſtica in Cathedra inſtruat, aut in Confeſſionali judicet; ſi adhuc deteriora pœnitentium diſſimulet ex probabili opinione, eos verſari in Ignorantia invincibili, in qua ſecuriùs relinquantur, quàm ſi per indiſcretam malitiæ exprobrationem ex materialibus fierent formales. Deus bone! quanta morum corruptio ex unius hominis probabiliſticè laxi Exemplo & Doctrina in tali Fidelium communitate orietur? Ecce jam fructus Probabilismi, à ſuis tamen Doctoribus, Patronis, & ſectatoribus ſine omni limitatione, ſine circumſcriptione terminorum,

ſed generatim cum omni latitudine & extenſione ſua ad cœlum usque deprædicati; ita, ut meritò cum Eccleſiaſtico, paucis mutatis exclamare liceat: *væ tibi Parochia, cujus Rector Probabiliſta eſt*; talem nempe intelligo, qualem ſuprà in Titio deſcripſi.

Subit hìc memoriæ Epiſcopus ille Laodicenſis Apocal. 3., qui licèt in exercitio bonorum operum languidus, nullius tamen ſibi gravioris culpæ aut transgreſſionis Legum divinarum conſcius, ex opinione ſibi viſa verè probabili exiſtimabat, ſibi utpotè virtutibus diviti nihil deeſſe. Hoc quidem ille de ſe ipſo judicium confidenter ferebat. Sed audiamus etiam Judicium Dei. *Tu quidem dicis* (inquit ſcrutator cordium & renum Deus) *quòd dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper & cæcus, & nudus; ideo, quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Contremiſcant hoc Divini oris fulmine Probabiliſmi illimitati Sectatores, & videant, utrum olim cum ſuis illimitatis & incircumſcriptis opinionibus Probabilibus ante Diſtrictiſſimi Judicis tribunal ſecuri valeant conſiſtere. Cogitent: ſi vir Epiſcopus, qui ſe ſua opinione, ſibi viſa verè probabili, Sanctum exiſtimabat, tam horrendam comminationem Dei Judiciô meritus eſt; quale nos, qui ex mera probabili ratione (licèt viſa verè tali) Præ-

cep-

ceptis Divinis probabiliùs graviter obligantibus, & cognitis ùt talibus nos ſubducimus, Judicium exſpectat?

Porrò ſudant, & maximè ſubinde laborant ex Confeſſariis nonnulli, pœnitentes ſuos quæſtionibus innumeris defatigantes: & quare hoc? nunquid quia fruſtrà conantur confitentes juxtà Regulas Probabilismi diſponere? minimè; ſed quia ex indigeſtis rudium narrationibus, ex factis plurimorum jura violantibus, ex formulis loquendi peregrinis &c. non ſciunt Syſtema de ſtatu pœnitentis formare, nec judicium adæquatum ferre, minùs proportionata morbis incognitis media præſcribere, ita ut poſt laborioſas defatigationes aliud ipſis non maneat reliquum; niſi pœnitentem ex diſpoſitione præſumpta, & ex uſu Probabilismi *merè ſubjectivi* abſolvere, eundemque Divinæ Providentiæ committere. In magno enim concurſu confitentium (ajunt Probabiliſtæ) in multitudine Peregrinantium, qui pro ſemel & ſemper ſtatim expediri debent, in voragine multiplicium peccatorum, Confeſſori ſufficere poteſt, isque ſibi gratulari debet, ſi per recurſum ad Probabilismum ſe reſolvere, & pœnitentes ex probabili diſpoſitionis perſuaſione abſolvere poſſit. Exinde fieri videmus, quòd unus Probabilismus cum altero confundatur, & Reus cum Innocente abſolvatur; regulariter enim loquendô iſta non con-

cer-

cernunt Probabilismum *objectivum*, & opinionum *Juris*, ſed Probabilismum merè *ſubjectivum*, & facti. Opinionum quippe objectivarum major vel minor Probabilitas tam inquàm extrà ejusmodi concurſum de ſe ſemper eſt eadem, & Confeſſario utrimque æqualiter perſpecta. At confluxus populi, compreſſio adſtantium, multitudo & varietas numerica & ſpecifica peccatorum, perplexitas circumſtantiarum, modus loquendi non ſatis perſpectus, & peregrinæ expreſſiones præter penuriam temporis, ad juſtum examen cum pœnitentibus inſtituendum requiſiti, hæc hæc demum ſunt, quæ aliquem *Probabilismum* (at non niſi *merè ſubjectivum & facti*) neceſſarium facere perhibentur; quatenus Confeſſarius in ejusmodi circumſtantiis de gravitate, numero, & ſpecie, ac effectibus delictorum, de vero dolore, & efficacia propoſiti, ac denique de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis nullum niſi ad ſummum probabile Judicium, illudque nixum meris præſumptionibus factorum, formare poſſit; de quorum tamen ſingulorum qualitate, quantitate, menſura & numero certitudo ſatis accurata haberi potuiſſet, niſi iniquitas circumſtantiarum accuratiorem Proceſſum informativum feciſſet impoſſibilem. Sic illi. At nunquid fortè præſtaret pauciores, ſed benè diſpoſitos, exactiùs examinatos, perfectè converſos,

ac

ac contra futuros lapſus efficacibus mediis munitos integræ ſanitati reſtituere, quàm integras languentium turbas cum exigua ſanationis ſpe breviter expeditas dimittere? novi ego ejusmodi Thavmaturgum animarum Medicum, qui gloriatus eſt, ſe intra horæ ſpatium 50. languidos curare ſolere.

Atque utinam omnes Medici animarum imitarentur Medicos corporum! hi enim pro ſalute corporali ſuorum Patientium paternè ſolliciti non temerè & cæcô modô ſupponunt certum morbi ſtatum; ſed per diligentem inveſtigationem priùs mali radicem & materiam (ùt ajunt) peccantem rimantur; nec media quævis obvia & generalia, ſed cujusvis morbo magis convenientia præſcribunt. Utinam & Judices Spirituales imitarentur Judices ſæculares! upote qui non niſi cognitâ priùs per diligens Examen partium litigantium cauſâ, & exploratis libratisque utrimque argumentîs, Sententiam ferre conſueverunt, neque temerè (niſi merita cauſæ profundè inſpexerint) Reos condemnare aut abſolvere ſolent. Numquid enim ſalus animarum immenſum præſtat ſanitati corporum? Numquid Confeſſarius vices Chriſti Domini agit? Numquid officium Patris (quo ſuaviſſimo nomine à pœnitentibus appellatur) numquid & officium Medici. Judicis, ac Doctoris ſuſtinere debet? ut ergò huic multiplici officio perfectè ſatisfaciat,

num-

numquid plus temporis, quàm unum alterumve horæ minutum requiritur? væ igitur Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident! non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro Domo Israel Ezech. 13. v. 3. & 5. væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, gregem autem meum non pascebatis! quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis &c. Ezech. 34. v. 3 & seq. væ vobis Duces cæci &c. Math. 23. væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui clauditis Regnum Cælorum ante homines ibid. v. 13. Omnes hìc & solos illos intellectos volo, qui Probabilismo non (ùt decet) *instar Medicinæ*, exigentibus ita *Necessitate* aut gravi *ratione*, nec debito *tempore & modo*, nec cum *justa temperatura & Dosi* utuntur; sed illum *generatim*, *semper* & *respectu omnium instar panis quotidiani* ac tanquam *medium universale* ad curandos *omnes* animæ morbos stulti, & incauti, imò & crudeles adhibent: exinde enim fieri tristis experientia testatur, ut animarum languores (peccata, peccandique consuetudines) non curentur, sed nutriantur; ut Spiritus Christi instar ignis semper sursum ad perfectiora nos incitantis, in animabus probabilium opinionum mole ad terram terrenaque desideria de-

pres-

preſſis, ſuffocetur; ut perfectio Chriſtana tam ſeverè à ſacris Paginis & SS. Patribus nobis commendata, apud multos transeat in fabulam quaſi riſu dignam; ut nova eáque commodior & laxior illâ Math. 7. via ad Cælum tentetur; ſed utinam non hæc eadem eſſet *via* illa Prov. 14. 12. *quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Hæc de Probabilismo *nimis generali, illimitato*, ejusque ſpuriis filiis (*abuſibus*) dicta ſunto.

Injuria nemini fit, ſi quis experientiæ teſtimoniis convictus teſtetur, quòd ſæpe viri pro Imperio Probabilismi Univerſali, ejuſque neceſſitate ad ſanguinem usque pugnent; è contrario verò Antiprobabilismo tanquam Peſti Reipublicæ Chriſtianæ maledicant. Multi eorum in quavis materia non habent, niſi unam Sententiam, juxtà quam in praxi procedere ſolent; adeóque cùm libertate electiva careant eligendi inter plures magis & minùs probabiles, de alio Probabilismo intelligi non valent, niſi de merè *ſubjectivo* & *facti*, cujus ſubſidio ideò maximè indigent; quia uſu, dexteritate, & prudentia practica (imò quandoque etiam ſufficienti ſtudio) non ſatis inſtructi per diligentes inquiſitiones, & Proceſſum informativum non ſciunt adæquatam factorum veritatem, nec corpus (ùt ajunt) delicti inveſtigandô acquirere; ideò aliud haud ipſis ſupereſt, quàm uc

de gravitate vel levitate peccatorum, de numero & ſpecie eorum, de diſpoſitione pœnitentis, ejusque capacitate ad abſolutionem, denique de variis obligationibus in poſterum obſervandis aut præſtandis in dubio hærentes, quid agant, tandem ita reſolvant: in dubio ſtat præſumptio pro libertate: pœnitens jus habet ad abſolutionem, quamdiu de ejus incapacitate non certò conſtat; ergo ea ipſi non poteſt denegari; ergo Confeſſarius clypeo Probabilismi tectus ſecurè & ſine ſcrupulo poteſt juxta probabilia procedere.

Neque dicas, iſta extrà Sphæram diſputari; quia Aſſertores Probabilismi de iſto genere & uſu *Probabilismi merè ſubjectivi* non loquuntur; ſed ipſis ſermonem eſſe de *Probabilismo objectivo* in concurſu opinionum probabilium, & probabiliorum, & de ejus germano uſu. Non nego, ita eſſe, loquendo de viris ſapientiſſimis, & in re morali verſatiſſimis, qui vel inſigni Doctrina & prudentia pollent, vel Cathedris Theologicis diu cum Scientiæ laude præfuerunt. Sed, cùm Profeſſores, & Scriptores Theologiæ Moralis, & Inſignes ſcientiâ Theologicâ Viri Practici vix centeſimam Confeſſariorum partem conſtituant; Scripta verò & impreſſa de Probabilismo ſint ita comparata, ut inſtabiles atque in Principiis Scientiæ Moralis minùs verſati, eadem facilè *in latitudine non intenta* (ſicut ſu-

periùs Titius) accipiant: hinc Doctrina non satis circumscripta & limitata, sed in terminis nimiùm generalibus deprædicata, in ipso usu, & applicatione à viris in practicæ prudentiæ regulis non adeò circumspectis facilè in siniſtram partem exponitur. Vinea Domini Sabaoth, & Regiones Catholicæ in noſtris partibus de facto multos numerant operarios, ſed Magiſtri eorum non ſunt, niſi reſpectivè pauciſſimi; hinc hi ſuas inſtructiones ita adornare debent, ne imbecilles doctrinîs indigeſtîs, & Principiîs ad ſuas hypotheſes non limitatis decipiantur, & in abuſus delabantur omnium calculis pernicioſos. Hæc de Confeſſario Probabiliſta prolixiùs diſſerere alia me non coegit ratio, quàm dignitas Argumenti; utque aliis ſimul anſa præbeatur, veritates, vel defectus ejusdem argumenti ſive in toto, ſive in nonnullis partibus exactiùs diſcutiendi. Quòd etſi hauſta per diuturnam experientiam perſuaſio, & formatum inde Syſtema hinc inde me fefelliſſet; convictus tamen ſum, quòd hac in parte graves ſubinde dominentur abuſus, & errores committantur non leves; quin alia eorum detegi potuerit radix, niſi quòd integra Probabilismi Genealogia, & Familia cum ſororibus & prolibus legitimis, & illegitimis ab invicem non ſatis diſtinguantur.

ANI-

ANIMADVERSIO XV.

De Judice Probabiliſta.

§. XLII.

Judicem teneri in jure litigantibus dicendo ſequi opiniones Probabiliores poſt damnatam ab Innocentio XI. propoſitionem contrariam, apud omnes modò certum eſt. Conveniebat etiam ante damnationem inter Doctores, uno vel altero excepto, quòd Judex in quæſtione facti obligetur rem litigioſam adjudicare parti illi, pro qua fortiores ſtant vel probationes, vel præſumptiones vehementiores, aut favor juris præponderans, ùt ſcribentes cum P. Viva in iſtam propoſitionem communi ſuffragio tenent. Controverſia inter Doctores ante judicium Apoſtolicum, in eo duntaxat verſabatur capite: an (quando dubietas in cauſis civilibus oriebatur ex diverſitate opinionum circà jus) tunc judex poſſit ferre Sententiam juxtà opinionem minùs probabilem? Auctorum, & rationum gravitatem ſiquis ſpectet, ex qua probabilitas hujus Sententiæ ante fulmen Vaticanum defenſa fuit, de veræ Probabilitatis ſpecie dubitare vix poterit, ſùt videre eſt apud alleg. P. Viva, & Cardenas in iſtam Prop. commentantes. Nunquam

novi de facie perſonas Doctorum, qui hanc Sententiam ſua approbatione dignam judicarunt ; Sed illud in tranſitu ſolùm animadverto, quòd reprobatio hujus opinionis ſolitiſ Probabilismi Extrajudicialis propugnaculis minimè faveat. Patroni Probabilismi Judicialis apud P. Cardenam n. 7. inter alia ita in conſequentiam ratiocinabantur : quilibet prudenter operatur, dum opinionem ſequitur probabilem; ergò judex prudenter operatur, dum judicat ſecundùm opinionem probabilem: Sed minùs probabilis eſt verè probabilis, ergò judex prudenter operatur, dum judicat ſecundùm opinionem minùs probabilem. Jam ſicut mala ſemper erat iſta illatio; quia arguit à propoſitione directa ad reflexam, inquit præfatus Theologus; ita non procedit ſuprà dicta argumentatio: licet ſequi opiniones probabiliores; ſed probabilius eſt licere ſequi probabilem, ergò &c. dein judicent impartiales, cujus tunica ſit prædictà pro Probabilismo judiciali argumentatio, an Probabilioriſtæ, vel Probabiliſtæ ? En ! prudenter non agit, qui ex gravi agit ratione ?

Sed dices, judex probabiliora ſequi ex contractu tenetur. Dic, quæſo, in quo Mundi Archivio, in qua Cancellaria iſte ſic prætenſus aſſervatur contractus, vel authenticum ejus inſtrumentum ? nunquid in Archivio præſumptionum Naturalium,

lium, & in codice mentis humanæ? & in eodem codice legi fors poterit obligatio non recedendi à probabilioribus ex hac sola ratione; *quia ad illa non tenetur*. Oeconomus, inquit Cardenas, stipendio à Petro conductus ad administrandam rem familiarem (ad quam alius probabile etiam habet jus) tenetur illam administrare in favorem solius Petri; quin liceat ex probabili tantùm jure partibus alterius Prætendentis favere. Nunquid homo ingenti ad solius Dei servitium conductus est stipendio, & administrationi plurium civitatum, ac talentorum præpositus, ut commissam sibi villicationem in solius Domini sui utilitatem, jure carnis & Libertatis probabili non attento, fideliter administret? Hæc in transitu per modum salutationis interpellasse propterea excusandum erit; quia factum ex eo justo fine est, ne quidam statim succensleant, si prætendatur, quòd Probabilismus Judicialis, & Sacramentalis ex ipsissimis principiis Probabilismi generalis, à suis genitoribus procreatus fuerit; cùm autem istæ proles declaratæ jam sint illegitimæ, radix Natalium quoad stirpem superstitem in suspicionem illegitimitatis venit; ùt cæteris omissis ex adductis à P. Cardena liquet. Cæterùm ut ad propositum revertamur, licèt in regula expeditum sit, judicem sequi teneri Leges, Sententias, & jura probabiliora; hæc tamen

declaratio regulæ generalis impedire non potuit, quominùs pluribus adhuc ambiguitatibus locus remanserit superstes.

Primariò quærunt Scribentes in hanc thesim, an Judex obligetur sequi opinionem intrinsecè probabiliorem sibi visam, contrà communiorem aliorum, adeóque extrinsecè probabiliorem? Ubi Theologi communiter respondent affirmativè, quia, ùt ait Cardenas n. 12. Judicis intellectus inclinari potiùs debet *fundamentis intrinsecis, quàm dictis Sapientùm, si vir doctus scit fundamenta perpendere.*

P. Cherubin Mayr in suo Trismegisto ad tit. 32. l. 1. decret. n. 23. ita scribit: nota, resolutionem etiam procedere pro casu, quo Judex causam unius partis suo quidem judicio censet probabiliorem: at simul novit, *ab aliis etiam peritioribus* causam alterius partis probabiliorem reputari; quia judicis non est officium, Sententiam proferre secundùm *judicium aliorum, sed suum.* P. Franc. Schmalzgrueber tit. eodem n. 25. quæstionem: an Judex teneatur sequi communem sententiam, quandò contraria ipsi apparet probabilior? Negativè decidit, quia Judex ex juribus ibi allegatis non attendat, quid alii judicaverint; Sed juxtà propriam conscientiam, & scientiam causam dirimat. Quibuscum alii multi consentiunt.

§. XLIII.

Hæc assertio ùtùt in suo sensu, & loco vera; attamen una ex illis incircumcisis doctrinis est, quæ pro uno bono usu centum

tum abusus pariunt, ùt Justitiæ Cultores multoties desuper jam conquesti sunt: Sed exploremus corpus istius asserti in suis partibus, & effectibus. Si Judex tenetur, & regulariter potest ferre Sententiam secundùm suam, & non aliorum probabiliorita-tem; cur Patres in priscis Conciliis congregati ad effectum dirimendi causas, & controversias ad se delatas, tam diligenter attenderunt, quid prædecessores in similibus controversiis judicaverint? cur Summi Pontifices in dirimendis litibus ad se delatis Decisiones, & præjudicata Antecessorum continuò ante oculos habere curarunt? cur Judices Rotales posteriores tam sedulò respiciunt Decisiones Antecessorum? cur unus idémque Judex non teneatur in hac causa judicare secundùm Probabiliorem sibi hodie sic visam, non attendendo, quòd heri in negotio prorsùs simili secundùm Probabiliorem sibi tunc visam, & hodiernæ contrariam, processerit? & sic deinceps; si enim Supremi Reipublicæ Judices, qui summa præditi sunt potestate, à semitis, & præjudiciis Prædecessorum sine manifesta ratione recedere verentur; unde inferiores judices plus juris sibi attribuere valeant? dictum enim suprà est, erroneam esse conscientiam propriam, & singularem (contrà communem aliorum) quæ potiùs superstitio quædam dici meretur. Unde Antonius de Butrio apud Fagnanum cum

Joan. de Imola, & Alex. de Nævo dicit, hunc D. Hieron. textum: *ne innitaris prudentiæ tuæ*, esse allegabilem contrà captiosos, qui plus de se præsumunt, quàm sit in rei veritate, & *volunt omnes suas opiniones aliis prævalere.* Verum est quòd tempore, quo codices judiciales, & Commentaria Legum adhuc in tenebris latuerunt, & amplissima globi terraquei Plaga incognita erat, multæ viguerint tunc Leges, & praxes Forenses, quas melior Justitiæ cultura corrigere jussit. At, postquam famosus Columbus incognitam orbis partem detexit: postquam milleni, & milleni Glossatores, Interpretes, Commentatores, Magistri & Doctores, omnes & singulos Juris & æqui apices ad fæces usque toties discusserunt: dum casus non nisi rarissimi moderno tempore evenire solent, qui in Collectionibus Decisionum Rotalium, & SS Congregationum, vel in Actibus Curiarum Imperialium, aut in voluminosis tribunalium Protocollis, non multotiès, & quidem in specie specifica ad amussim utriusque Juris examinati & expediti reperiantur. Post hæc, inquam, omnia modicus supereſt timor, ne novus exurgat Columbus, qui novam orbis habitabilis Plagam detegat: ne novus Theologus, aut Juris Consultus superventurus sit, qui in Regno Justitiæ novas veritates contrà communes de facto Sententias inveniat, & cum approbatione

Pu-

Publici judicii prævalere faciat. Possibile quidem est, ut alter Columbus in Partibus quibusdam præsertim Polearibus Insulam aliquam ignobilem detegat; ita impossibile quoque non erit, ut aliquis Juris Novator audacter asseveret: sibi Sententiam hujus, vel illius, quem possidet, Auctoris ex rationibus à se inventis minimè probari; sed ex detectis singularibus rationum momentis oppositum longè probabiliùs, vel omninò certum sibi apparere; & propterea compulsum se esse, pro Jure alterius partis pronuntiare.

Si cui sors prospectus in Cancellarias Appellationum, & Revisionum apparuerit; sine injuria veritatis experietur, non deesse in quibusdam Europæ angulis Judices, quorum pleraque judicata reformationis censuræ non immeritò subjiciantur; & si ejusmodi oraculis objiciatur, quòd eorum decisa communibus Jurisconsultorum Placitis, & receptis apud P. Engel, P. Schmier, aut D. Carpzov. Principiis apertè adversentur: Apage, inquient, tales Justitiæ Reformatores cum Communioribus Juris opinamentis! nos non cessavimus novas, & novas identidem in laboratorio Juridico rationes excogitare, & tamdiu torneare, donec Sententia nostra singularis, communi aliorum adversa, visa nobis fuerit apertè & manifestè probabilior, quinimò ab heri, & nudius tertius om-

omninò certa, ne dicam, plusquàm evidens. Quòdsi verò omnes ejusmodi rationes noviter inventæ, per Alchymiam judiciariam distillatæ, & in luce veritatis probatæ fuerint, fumi instar disparere reperientur, patebitque manifestè, quòd Præsumptuosi ejusmodi Judices non ùt oracula veritatis Partibus litigantibus Jus administraverint, sed ùt Simulacra lapidea, Justitiæ solummodò nomen & speciem habentia, umbram pro veritate, ventos pro Sacris Legibus vendiderint. Ita nempe evenire oportet, si Judicibus contrà communes Jurisperitorum Sententias, ex opinione sibi visa probabiliore, in Judiciis controversias decidere erit licitum. Scio equidem, præfatam superiùs conclusionem de nullis intelligi Judicibus, nisi de Sapientissimis debere. Sed quot, & quinam sunt illi Sapientissimi? & si plures sint; unde litigantibus constat, hos præ aliis tales esse? nunquid minùs habentes sæpè majorem Sapientiæ & experientiæ fumum spirare solent, quàm viri Sapientes? Sed hi nunquam, aut vix unquam à Sententiis Communibus recedere consueverunt; illi autem, etiamsi velint, vel velle videantur communem sectari; Partium tamen studio, & rationum suarum Specie decepti, facili modo à tramite Justi, & recti deflectent. Siquis consideret tot utriusque Sacri, & Profani Fori Canones, & Leges,

quas

quas Sacratiſſimi Sacerdotii, & Imperii Summi Rectores condiderunt; Si tot ingentia volumina, quibus viri Sapientia, & longi uſûs Experientia præſtantiſſimi, Senſus, ampliationes, & applicationes Legum & Sanctionum illuſtrarunt; quis Novator ſibi tantùm præſumet, & promittere poterit, quòd ipſe ſolus, vel cum paucis aſſeclis, in expendendis Legum & Sententiarum rationibus plùs viderit, & perſpexerit; quàm communis aliorum ſimul, & ſemel intellexerunt?

§. XLIV.

Judex itaque in ſuo officio nunquam non ſecurè procedet, ſi in expediendis litibus, & adminiſtranda Juſtitia ſequatur in dubio Legis, Sententias inter Theologos & Jurisconſultos Communiores; quia illæ in poſſeſſione ſunt majoris probabilitatis & veritatis, donec de contrario authenticè conſtiterit. Rationibus enim ſingularibus privatim excogitatis, licèt ad ſpeciem meliùs expenſis, nullus tutò confidet, niſi etiam approbatione Publici calculum juſtificationis retulerint. Nam ſi recentiſſimus Jurium & rerum Juridicarum cultor, nova ad excolendam aliquam Sententiam (hactenus æſtimatam minùs communem) fundamenta inveniſſe ſe arbitretur, & eadem per typum, cenſuræ Judi-

cii publici expoſuerit, atque in ſtatera publici judicii talia nova fundamenta, inventa fuerint præponderantia, & ſolida: tunc primùm, & non anteà, in tribunalibus Juſtitiæ attentionem merebuntur, & Sententiam, anteà minùs communem, per communem Publici approbationem, probabiliorem efficient. Secùs, quandò ſacræ Nemeſis cultoribus in decidendis Partium cauſis licet à Sententiis communibus, & communioribus deſcifcere, & ex rationibus ſibi viſis minùs communem opinionem alteri communiori præferre; tunc hominibus in Jurisprudentiæ armariis omnium minimè verſatis, negotium nullum erit, omnes Sententias minùs probabiles ad gradum Probabilioritatis, ſua in inveniendis novis rationibus fæcunditate promovere.

Ex vano hauſta non ſunt, quæ hoc loco dixi, nec absque intentione fructûs iſta ſcribo. Vota non ſemel tam Deciſiva, quàm Conſultiva & Doctrinalia, contrà Doctrinas aperte magis receptas, & in Jure ac in Jurisperitorum Auctoritate certò magis fundatas, ita ex rationibus domeſticis, & propriis adinventionibus exculta vidi, ut Jura & Prætenſiones partis, in cujus favorem iſta vota cedebant, ſpecioſo ratiuncularum apparatu plus non viderentur fundata, ac ſiquis Sententiam vel theſin de numero ſtellarum impari, rationibus ſpecioſè inventis & comptè adornatis,

tis, ad majorem Probabilitatem à se evectam esse gloriaretur; Et quod plus est, nunquam desunt Juris Administratores, qui rationibus ad speciem excultîs plùs, quàm verîs & communi Doctorum suffragiô approbatîs, ducuntur. Si Judex recti, & æqui amator, postquam de facti, & probationum œconomia plenè se informatum credit, habito ad leges, & legum Interpretes recursu secundùm inventa ab Auctoribus principia probabiliora ad decisionem processerit (opinionibus minùs communibus sine omni examine relictis) de actione Syndicatûs nec coràm Deo, nec coràm Magistratu superiore periclitabitur; sed suæ obligationi tantò magis satisfeciisse judicari debet, quantò minùs Judicis cumulô negotiorum distenti est, Sententiarum rationes taxare, quæ à tot viris tam Juris Prudentiâ quàm experientiâ practicâ longè Præstantioribus judicatæ sunt præponderantes & certò Justæ. Quæstioni modò cribratæ succedit

Altera: an Judex Probabilista sequi possit aut teneatur minùs probabilem Sententiam, si eadem sit usu populi & Stylô curiæ recepta? Pro hoc rerum themate cum clar. P. Cardena, & aliis libenter responsioni affirmativæ adstipulor; quia, licèt Sententia aliqua sit inter Scriptores nonnihil communior (rarò enim Sententia singularis & communissimæ aliorum opposita,

in

in Republica & curia benè ordinata, uſu conſtanti ſolet eſſe recepta) communis tamen obſervantia, & conſtans curiæ Stylus tribuit oppoſitæ Jurisconſultorum opinioni tantum Probabilitatis acceſſum, ut illa pro loco, & reſpectu curiæ, ubi ſic recepta eſt, reputanda ſit longè convenientior, conſequenter etiam ex hac majore cum circumſtantiis loci & moribus populi convenientia, evecta ſit ad gradum Probabilitatis certò majoris. Aſt per talem ſententiam uſu receptam non intelligenda venit quælibet contingentia, qua Judex aliquis in caſibus nonnihil affinibus ex motu proprii arbitrii propter rationem convenientiæ fortuitò non variatam, conſimiles deciſiones expediri fecit; ſed, quandò Inclytum aliquod Regiminis Dicaſterium, aut plures ſucceſſivè Provinciæ Prætores, penſatîs utriusque Sententiæ Rationibûs, unam Doctorum opinionem, aut Legis interpretationem præ altera adoptandam cenſuerunt, & conſtanti uſu illam ſecuti fuerunt: tunc enim cenſeri talis opinio poteſt, uſu & obſervantiâ eſſe recepta. Sic in Auditorio S. Rotæ, in Judicio Cameræ Imperialis, & Cæſareo-Aulico, in tribunalibus Statuum Imperialium &c. hinc inde Sententias adoptatas videmus, quæ inter Doctores Theoreticos nonnihil minùs communes apparent.

In

In casibus autem, in quibus Judex de majore Authoritate alicujus Sententiæ, spectatô numerô authoritatum, dubitat, simul autem animadvertit unam ex concurrentibus Sententiis in pluribus Justitiæ Dicasteriis & Statuum Provinciis esse receptam, aut omnino in Statutis Provincialibus præscriptam; tunc isthæc Tribunalium, & Curiarum stabilita ordinatio, complurium Theoreticorum Authoritati præferri meretur. Exempla non pauca ad hunc in praxi Judiciali usum suppeditantur à germano Philoparcho (vulgò Der kluge Beamte nuncupato) ubi in recentiore Editione variantes Statuum Leges Municipales, & Praxes tribunalium reperiuntur annotatæ.

De P. Vito Pichler non ex vano supponitur, multas eum in suo Candidato Juris, Sententias tradidisse motum ex Jure Bavariæ Statutario.

§. XLV.

Scribentes in propositionem damnatam de Probabilismo Judiciali ulteriùs quærunt: an Judex in Collegio plurium Con-Judicum possit relicta sua probabiliore se conformare votis, & opinionibus aliorum? juxtà tradita per Cherubin Mayr suprà indicata, Judex teneretur votum, & suffragium in judicio ferre secundùm probabiliorem sibi visam contrà probabiliorem aliorum, etiam

peritiorum se; quia Judicis officium postulat, ut Sententiam proferat secundùm judicium suum, & non aliorum. Principium istud sic generatim acceptum nemini rerum experto probari potest. Ecce! nullus planè, in praxi versatus, erit, qui nesciat, quòd Judicibus minùs peritis Sententiæ certò minùs probabiles omnium facillimè, & frequentissimè apparere soleant probabiliores, eo ipso, quòd vim argumentorum minùs, quàm Peritiores penetrent, & distinguere inter argumenta solida, & inter apparentia tantùm, haud sciant. Fortassè dicendum, quòd Præfatus Canonista dubia facti confundat cum dubiis juris. Insistendo autem firmato semel vel supposito Principio (quòd Sententia inter Juris Doctores Communior censenda sit tamdiu Probabilior; donec opposita minùs communis, rationibus oraculô Publicæ approbationis Justificatîs, prævaluerit) ejusmodi Judicis discrepantia à judicio aliorum de facili locum habere non potest; ex ostensione enim facti doceri quivis potest & convinci: hanc, vel illam Sententiam esse communiorem, adeoque præsumptivè probabiliorem; consequenter ex hac parte rarò, vel nunquam contentioni, & necessitati eundi in partes, locus erit. Secùs res se habet ex parte facti, & spectatis rationibus subjectivis, quatenus Partes litigantes prætensionum suarum intentiones fir-

firmare nituntur variis teſtimoniis, conjecturis, & præſumptionum adminiculis, quorum probandi gradus ex Juris regulis non poſſunt exactè definiri; ſed eorum determinatio arbitrio Judicum relicta eſt. In ejusmodi facti arbitrariis ſæpiùs, & jure merito, dubitari & quæri poteſt: quantùm alicui exceptioni contrà perſonam, aut Edicta teſtium; quantùm certis adminiculis, & concurſui conjecturarum in proceſſu probationis tribui debeat, & juſtè poſſit? & de iſtis caſibus Theſis Cherubina intelligi fors debet. At ſic non ampliùs verſamur in terminis Probabilismi ſtrictè dicti, & de quo propriè controvertitur.

Quòdſi autem in hac figura facti quæſtio inſtituatur: an Judex in ampliſſimo Senatu, & in conſeſſu plurium conjudicum poſſit, vel teneatur ſe judiciis, & votis aliorum conformare? Imprimis ſive talis Judicii Aſſeſſor aliorum & plurium ſuffragiis ſe conformet, ſive ſingulari opinioni inſiſtat, in ipſo effectu regulariter parùm importat; quia concluſum commune ex majore Votorum parte formatur. Si autem unus, vel alter ex Juribus, & rationibus ſingulariter expenſis ſibique vilis ponderoſis, ſuam Sententiam ab aliorum opinione diverſam exiſtimat certò juſtiorem, eoquòd advertat, quòd cæteri potiſſima fundamenta nec attigerint, nec conſideraverint; tum poteſt, & tenetur ſuas ſic ſen-

tiendi rationes, & fundamenta peculiariter exponere, & reliquorum judicio, & æstimationi committere: quibus si pondus, hactenus non attentum, inesse à plerisque judicatum fuerit; aliorum accessum, & consensum haud dubiè obtinebit. Sin verò contingeret, quòd Assessores reliqui ex præjudiciis nolint proposita juris & facti momenta attendere, minùs ea perpendere, vel justa responsione dissolvere; sed suo: *Statutum est &c.* fixè inhærerent; tunc talis conjudex suæ obligationi maximè consulet, si ad salvandum salvanda & ad futuram rei memoriam, suum cum rationibus votum Actis Judicialibus inseri faciat; quia hæc cautela sic sentienti in honorem, & Parti læsæ in utilitatis usum suo tempore cedere potest. Cæterùm cùm hæc ita dissererem, oculis meis, ex occasione alicujus facti Judicialis, se singularis aliqua animadversio subjecit, cui peculiare tribuendum examen censui.

ANIMADVERSIO XVI.

De Judice sequente opiniones unicè probabiles.

§. XLVI.

Altùm aliquando menti insedit persuasio, plurimas in uno Juris titulo Leges sibi re-

repugnare: Decisiones curiarum, etiam S. Rotæ Romanæ, frequentes contradictiones continere: necnon Auctorum Pragmaticorum extensiones, limitationes, restrictiones, ampliationes, relaxationes, exceptiones, & innumeras modificationes in determinandis juris disciplinis, superfluas, & inanes existere; in eaque opinione tantò magis confirmabar; quia ex alia parte observavi, non nullos Juris Doctores universæ Jurisprudentiæ thesaurum in levibus compendiis comprehendere, ita ut exinde omnes controversiæ decidi posse viderentur, ferè, sicut Mathematicus uno eodemque Quadrante omnes distantias & corpora cœlestia observare, vel sicut Agyrtes tribus medicamentis omnia morborum genera curare consuevit. Verùm, ubi ipsemet aliqualem rebus forensibus operam navare cæpi, & ratio officii postulavit, ut ad effectum expediendi controversias & lites difficiliores, plures & plures Commentarios, & Jurisconsultorum ampliora volumina consulerem; donec principia ad casum magis restricta, & punctum difficultatis in terminis, ùt ajunt, terminantibus ex legibus & interpretibus solventia invenirem: Tum primùm animadverti, Leges à Legibus, Interpretationes ab Interpretationibus, Decisiones à Decisionibus non ita (ùt nonnulli arbitrantur) discrepare; sed quaslibet de suis circumstantiis, & casibus

fibus ſpecialibus intelligendas eſſe. Quoties enim ab initio Jura Partium pro qualitate factorum, & formato exinde Statu Quæſtionis, ex Principiis & Regulis Juris *generalibus* deducere & definire ſategi (Auctoribus Pragmaticis priùs non conſultis) toties expertus ſui, me metam juſti & æqui ex integro nunquam attigiſſe, ſæpiſſimè vero à præſcripto Juris tramite ita defleXiſſe, ut mirari debuerim; quomodò quis cum omni ſua adhibita diligentia, etiam præter ſuam intentionem, Doctrinis Doctorum & Principiis Juris generalibus usque adeò decipi potuerit. His ita præliBatis jam intrat Quæſtio: utrùm Judex teneatur ſequi opinionem ſic unicè probabilem, quatenùs unus, vel alter Pragmaticus Scriptor in ordine ad caſum tunc propoſitum, & in Judicio expediendum, opinionem ſuam particularem ex Legibus deductam ac rationibus firmatam ita aſſumendam proponit, ut Judex (cùm aliam electionem non habuerit; quia caſus ille peculiaris cum ſuis individualibus circumſtantiis conſideratus, ab aliis Doctoribus nunquam fuit tractatus, nec in eorum Scriptis reperitur examinatus) ſecundùm eam opinionem ſingularem utpote ſibi benevisam, proceſſerit, cauſamque decideRit? Jam pro tali caſu nullus hæſito assereRe, quòd Judex poſſit ſequi talem opinionem unius viri; quia, cùm ab aliis in terminis

minis & pro circumstantiis specificis non fuit ullibi discussa, talis Auctor attenta præterea approbatione Judicii, in quo fuit deducta, ejusmodi sententiam suam facit unicè probabilem; quæ propterea æquivalet probabiliori, & moraliter certæ.

Plerique Canonistæ Germani, excepto Leurenio cum paucis, methodo suæ Scholasticæ nimis scrupulosè inhærent; inde fit, ut doctrinas suas ad causas & eventus particulares non satis digerant, sed plurimas easque gravissimas difficultates, & tamen quotidiè occurrentes, penitùs non tangant; periculosum ergò manet, ex illorum Commentariis & Regulis generalibus, sine prævio duce, in casu magis specifico stabilem Resolutionem capere; sed quævis à Judice inde deducta Resolutio, semper in incerto fluctuat; & quia nulli firmo Auctoritatis fulcro innititur, semper periculo expositus Judex trepidè exspectare debet, ne superveniat, qui errorem, aut lapsum detegat; cujus tamen periculi formido procul abest ab eo, qui in ferendo judicio auctoritatem oraculi in summis tribunalibus de recepti, in terminis ipsissimi casus secutus fuit. Jurisconsultus Theoreticus erubescit sine Lege de Cathedra loqui; & Jurisconsultus Forensis in casibus ambiguis, ubi restricta ad casum deficit juris dispositio, non minùs erubescat sine duce uni parti rem controversam abjudicare & alteri adjudicare.

care. Sicui officium Judicis ſuſtinenti uſus Bibliothecæ copiam fecerit adeundi Principes Juris Practici, non occurret ei caſus adeò ſingularis & peregrinus, cujus in ſpecie decidendi Principia apud Pragmaticos Scriptores jam digeſta non inventurus ſit. Inter quos præcipuè laudari merentur Cardinalis de Luca; Vincentius Petra, Auguſtinus Barboſa, Leurenius, Farinacius de Teſtibus, de Probationibus Maſcardus, & Menochius de Præſumptionibus & Arbitariis Judicum; quinimò & Juſtus Heningus Bœhmerus multa habet practica, quæ in aliis deſiderantur.

Siquis Acta graviſſimarum controverſiarum (quæ per typum publici juris facta, in diverſis collectionibus legi valent) vel voluminoſos faſciculos Actorum manuſcriptorum de momentoſis Proceſſibus attentiùs evolverit; inveniet ſæpiſſimè, quòd unius, aut alterius partis Commiſſarii antiquitùs, aut ſubin primùm heri, ſuper juribus non rarò liquidiſſimis transegerint; quòd multiplicatos ad Protocollum dictaverint receſſus, quin ex diſpoſitionibus juris non ambigui, fixum litis Syſtema firmaverint; quòd captum remedium aliquoties fuerit pro hoc individuali caſu, ſalvis cæteroquin juribus Partium in futurum; quòd hinc inde in actis, & receſſibus aliqua fuerint Principia juris aſſerta, vel facta ſuſtentata, quæ præter omnem juris

neceſſitatem aſſerentis cauſæ præjudicabant. Sic cauſa ab initio facili negotio finienda, cum injuria non tam temporis quàm hominum magis & magis vulnerata tandem inſanabilis evaſit; & hoc totum ideò evenit, quia negotium viris tractandum fuit commiſſum, qui judicio & dexteritati propriæ nimiùm fidentes, ſelectum Jurisconſultorum in negotio, de quo agebatur, maximè ſervientium, vel neſcierunt, vel eorundem jam præparatis laboribus uti, & principiis intendere neglexerunt. Sic jura homines vigilantes non deſtituunt; ſed, dum jura ab hominibus deſtituuntur, Sagunthus perit. Et hæc de judice animadvertiſſe ſufficiant.

Cùm ſalus Reipublicæ ab adminiſtranda civibus juſtitia maximè dependere noſcatur; primam & præcipuam imperantium curam eſſe oporteret, ut nulla pars bonæ Proviſionis, ad obtinendum hunc effectum conducibilis, unquam prætermittatur. Ex hoc fundamento nonnullorum tribunalium illa præprimis commendabilis Ordinatio & praxis deſcendit, vi cujus ad deciſionem cauſarum, quæ majoris ſunt momenti, progredi non permittitur, niſi facti & Juris merita in Scripto accuratè deducta, & ita inſtructa fuerint, ut tota Relatio cum rationibus dubitandi & decidendi non ſolùm Judici ſuperiori, verùm etiam ad Inſtantiam Partium, earumque Expenſis per typum Judicio Publici exhiberi valeat. Fructus hujus diſpoſitionis maximus eſt; quoniam metu cenſuræ publicæ compulſi Referentes in cauſa, non ſolùm merita factorum, & probationum gradus (qui cuivis documento,

præſumptioni, adminiculis, famæ, & demum toti complexui ex juris regulis debetur) ſeduld perpendent & determinabunt; verùm etiam ſtatum Quæſtionis ſic ex factis qualificatis firmatum, ad trutinam legum & ad probatiſſimorum Jurisconſul-torum placita examinare, atque ad juſtam deciſionem exactiſſimè inſtruere ſatagent, nihil veriti, ſi opus ipſorum etiam aliorum judicio exponatur.

Aliam experientia exhibet rerum faciem in illis Juſtitiæ Fanis, in quibus non rarò ii, qui Sacris Themidis præſunt, ſuplicibus non ex alio, niſi propii arbitrii oraculo jus dicunt; quorum ratio decidendi hæc unica eſt: *hæc dicit Dominus.* Et ſiquid difficilius ad Judicium altius delatum fuerit; tunc pro majore judicii infallibilitate ingrediuntur Sanctuarium apparatûs litterarii, & conſulunt codicillos, quos vel tempore ſtudiorum conſcripſerant, vel aliquis celebrior Athenæi Magiſter olim explicaverat; & ex principiis inde collectis (quæ tamen cum caſu quæſtionis aliam connexionem non habent, niſi quòd ad generalem tituli Rubricam pertineant) pendentem controverſiam ita decidunt, ut forte idem prodiiſſet judicium, ſi res per ſortem, & jactum aleæ confecta fuiſſet; ex quo ſic in groſſo procedentibus, & Margaritas litigantium in Libra fœni & plauſtrorum ponderantibus aliud non ſupereſt, quàm ut defectum certæ Regulæ, ex Codice de Arbitrariis Judicum ſupplean. Et ſi deinde pars victa in minimo ſe minùs contentam exhibuerit, vel de recurſu ad altius forum paulò intelligibiliùs muſſitaverit; ſtatim lictores, & carceres paratos experietur. In judicio benè ordinato non ſic: quia judex de rectitudine judicati certus & adeò convictus exiſtit, ut neutiquam vereatur Acta Proceſſus ſui examini & reviſioni Superiorum, imò totius Publici ſubjicere.

ANIMADVERSO XVII.

De innocentia Probabilismi universim.

§. XLVII.

Dum Probabilismi Innocentiam in controversiam voco, de nullo alio intelligi volo Probabilismo, nisi de eo, quem modô jam suprà dictô nulla necessitas vel justa causa extrinseca legitimum facit, ejusque usum unicè tutum reddit. Ab hac quæstione nonnihil odiosa libentiùs abstinuissem, nisi justa defensionis ratio eam attingere me coegisset. Sectæ, quam profiteor, Probabilioristicæ moderatæ gravè accidere debuit, quòd nonnulli Zelatores Probabilismi Antiprobabilismum cum Probabilioris-mo ùt maximè periculósum traducant, & ùt talem coràm hominibus pusillis infamare non vereantur. Quandò hìc de innocentia Antiprobabilismi & Probabiliorismi sermo coincidit, de alio pariter id intellectum non volo, nisi de eo, quem P. Thyrsus Gonzalez, & P. Rassler tenuerunt: neque istud absque speciali ratione contestor; nam, dum castra Probabilismi deserere cogitaveram, & factus eram Catechumenus apud Probabilioristas, P. Thyrsus Gonzalez primus & ferè unicus fuit, ex quo in Principiis novæ sectæ profeci. Reverentia tanto Magistro debita exigit, ne doctrina ab eo-

dem

dem optima fide, & invictis rationibus propugnata, & à Fratribus tam indignè traducta maneat inulta. Si assertores Probabilismi aciem suam modo defensivo instruxissent asserendô, non constare de innocentia Antiprobabilismi, vel non probari posse, pernicioſum esse usum Probabilismi germanissimi: nemo tunc modum præliandi eis improbare potuisset; sed audacter coràm mundo universo typis evulgare: usum Probabiliorismi esse NB. *maximè periculoſum*; id plus quam defensivum importat belli genus. Ante progressum ad ulteriora in memoriam ex anteà dictis revocandum est, in isto systemate eas opiniones speculativas probabiliores reputari, quæ in tanta copia Theologorum, & post tot cribrationes omnium rationum remanserunt certò communiores, & à plerisque pronuntiantur probabiliores; licèt alii fortè, sed nonnisi pauci, sint, qui oppositas velint esse probabiliores, vel quondam tales asseruerint. Paucîs, sententia inter Doctores communior, est & manet in possessione majoris probabilitatis, donec per rationes publico Judicio approbatas ex jure possessionis suæ deturbetur, atque exinde cesset manere amplius communior. Istis jam prænotatis judicemus, ex qua parte major, aut certior stet Innocentia? Prima ratio hoc discernendi desumi potest ex Thesibus à diversis Pontificibus in Scientia morum damna-

natis. Si propositiones ab Innocentio XI. ab Alex. VII. & VIII. aliisque ex parte sivè Rigoris, seu Laxitatis damnatas spectemus; nulla sane, ùt ego existimo, ex eis ante damnationem inter Theologos, qui tunc temporis jam scripserant, communior, atque exinde certò probabilior extitit, sed erant illæ pleræque omnes ad summum tantùm minùs probabiles; ergò in principiis Probabiliorismi illis erroneis, & censurâ Apostolicâ dignis doctrinis jam ante omnem damnationem uti non licebat: licebat autem eisdem doctrinis uti in principiis Probabilismi, quatenus in censum opinionum minùs probabilium receptæ erant, vel recipiebantur.

Neque reponere juvat, quòd confixæ illæ Propositiones suis Auctoribus visæ sint probabiliores, consequenter in principiis Probabilioristicis licitum fuerit eis uti; nam si hæ Doctrinæ confixæ in ipso Auctorum suorum sinu expendantur, imò si earum Commentaria apud R. P. Viva & Cardenam attentiùs legantur; patebit, plerasque earum ab ipsis suis Auctoribus & fautoribus solummodò venditas esse *ut probabiles*. Sed transmisso etiam, illas suis Patronis visas esse *probabiliores* (quod tamen de plerisque non subsistit) quid inde sequitur? nil aliud sanè; nisi, quòd juxta Systema Probabilioristarum soli illi respectivè pauciſſimi (& nemo alius) etiam ante dam-

nationem potuerint ejusmodi nimis laxas aut nimis rigidas Sententias (quia probabiliores visas) sequi. Secùs res se habebat in Systemate Probabilistarum, juxtà quos non tantùm his paucissimis licebat sequi illas Sententias probabiliores visas, sed etiam iis, quibus eæ minùs probabiles & minùs tutæ apparebant; consequenter juxtà Probabilistarum principia tunc poterant omnes Christi Fideles omnes illas *Sententias damnabiles* (quia postea damnatas) in praxim deducere, adeòque in materia morum tota Ecclesia, seu omnes Fideles (saltem materialiter) errare & decipi. Sanè si quis totam Probabilismi armaturam dextrè in subsidium colligere noverit, attentô præsertim, quòd sequi licuerit probabiliter tantùm probabiles (id quod adhuc nonnulli cum Cardena admittere videntur) insistendo principiis probabilisticis, adhuc hodiedum licitum esset in praxi sequi doctrinas damnatas, si earum damnatio adhuc abesset; & tamen jam ante damnationem erant *Scandalosæ*, *temerariæ &c.* In medio relinquo, utrum benè vel sinistrè sentirim (quando damnatarum Thesium rationes in utramque partem apud P. Cardenam vel P. Vivam deductas exactiùs perpendi) si dixero, earum mihi complures verè probabiles apparuisse, nullas autem verè probabiliores; & siquis alius, abstrahendo à Judicio Sedis Apostolicæ, tempus

&

& laborem ſumet dictarum Theſium, fundamenta examinandi; fors & ipſe judicabit, quòd rationum momenta, quæ laudati Commentatores pro reprobatione illarum propoſitionum adduxerunt, ſe ſolis ſpectata, apparentiam fundamentorum pro earum juſtificatione pugnantium non usque adeò deprimant, ut illis non adhuc vera Probabilitas perſiſtere videatur; ita ut, niſi fulmen Vaticanum ſupervenisſet, earum uſus ex ſenſu Pitanophili adhuc hodie eſſet maximè tutus; econtrà Probabiliorismus, qui eis (tanquam non probabilioribus) uſum licitum abjudicaret, maximè periculoſus, imò apud quosdam Janſeniſticus audiret. Ex qua parte jam ſtat majus periculum? pro qua major præſumptio Innocentiæ? plus dico: ipſi Probabiliſtæ (ſaltem ſapientes & timorati) Innocentiam probabiliorismi (quem profiteor) moderati commendare videntur. Dictum eſt ſuperiùs, Probabiliſtas Antiprobabiliſtis objicere, quòd in praxi ſine ſubſidio Probabilismi non *valeant* ſubſiſtere: & ego invertendô argumentum jam dico, quòd timorati Probabiliſtæ in praxi non *audeant* juxtà Probabilismi principia procedere; vel adeat quis, cui hoc paradoxum videtur, eorum confeſſionalia; examinet eorum pœnitentes. Auſim ſpondere, is experietur, quòd id genus Probabiliſtarum in praxi nil niſi tutiora, ſanctiora, & probabiliora ſuadeat;

contrà verò minùs tuta, minùs vel etiam merè probabilia additis etiam commina-tionibus ſuprà modum diſſuadeat; & ſi quandoque contigerit, eos juxtà probabi-lia reſolvere, id fieri in iis circumſtantiis perſpiciet, in quibus *gravis ratio*, vel *neceſ-ceſſitas*, aut *major utilitas* ipſius pœnitentis Probabiliſmi uſum faciunt maximè tutum, vel prudenter eligibilem. Ecce jam para-doxum! Omnis Probabiliſta ſapiens & ti-moratus, eſt, & eſſe debet eo ipſo etiam Probabilioriſta, ſaltem moderatus ſecun-dùm Syſtema à me hactenùs deductum. Ecce ſalutem ex inimicis noſtris! ſed quid dico *inimicis*. Utinam omnes Probabiliſtæ taliter ſaperent! utinam & omnes Proba-bilioriſtæ ita ſuum ſyſtema temperarent! tunc enim ſublata omni diſſidii cauſa, extinctá-que ſcandalorum puſillorum face, utrius-que partis propugnatores juxtà monitum Apoſt. 1 Cor 1. 10. *idem dicentes omnes*, ab-horrentes *Schiſmata*, *perfecti in eodem ſenſu*, & *in eadem Sententia*, pulchro Amicitiæ fœ-dere conjungerentur. O quàm *fortis* hæc *vis conjuncta* animorum ad fovendam Cha-ritatem mutuam, quàm *efficax* ad confrin-gendas Cedros Libani (convertendos pec-catores obſtinatos & conſuetudinarios) quàm *ſalubris* ad curandos animarum mor-bos, quàm *terribilis* principibus tenebra-rum, quàm *potens* & *invincibilis* adverſùs Hæreticæ pravitatis Agmina, denique quàm

glorioſa Chriſto Domino, quamque ejus Eccleſiæ *utilis* futura exiſteret! Da pacem hanc Domine in diebus noſtris! Sed ut ad propoſitum meum redeam. Alteram rationem judicandi inter Innocentiam utriusque Syſtematis ſubminiſtrare poſſunt innumeræ Propoſitiones, Sententiæ & Doctrinæ morum probabiles, quæ hodie adhuc à ſuis Patronis propugnantur. Nam ſi quis ex Auctoribus, aliàs non improbatis, omnes Sententias & opiniones, quæ à ſuis ùt probabiles defenduntur, colligere volet, eàsque in unum corpus Probabiliſticum congeſſerit; ingens certè prodibit Catalogus opinionum probabilium; circa quamvis enim Scientiæ Moralis materiam, imò circa quodlibet ferè ejus punctum, complures circumferuntur opiniones, quas cùm Auctores cum ſuis rationibus recenſuerint, communiter ſubjungunt: *hæc Sententia defenditur à multis, & eſt adhuc probabilis, & practicè tuta*; altera tamen eſt *verior, & in praxi tenenda.* Hæc eſt *Communior*; eſt *Probabilior*; eſt *tutior*; ab ea in praxi *non facile recedendum.* Hæ & ſimiles loquendi formulæ jam abſolutè ſupponunt, & innuunt, alteram ſententiam eſſe adhuc *practicè tutàm*, & *verè probabilem*; quia aliàs dicerent: hæc, quam amplectuntur alii Auctores, ſententia eſt *unicè tuta*; *unicè probabilis*; vel *omnino certa.* Ex curſu Theologico Salmanticenſium, ex Lacroix, Laymann, Caſtro-

palao, Sporer, Elbel, Corella & aliis Moraliſtis nullô negotiô parari poteſt catalogus propoſitionum & opinionum ex communiori Judicio minùs probabilium, quibus ex P. Diana aliìsque non exigua pars acceſſura eſſet; quòd ſi opera libriſque Auctorum, quos in hunc finem deſideraveram, ad manus fuiſſent, adjeciſſem fors hoc loco catalogum ex meris opinionibus minùs probabilibus contextum. Sed ex allegatis ſuprà obviis Auctoribus jam ſat amplus confici poterit de talibus Sententiis certò minus probabilibus; ſi enim in dubio meri facti 6. vel 8. graviſſimi teſtes fidem faciunt de una parte v. g. Si ſuprà recenſiti Theologi uno ore aliquam Sententiam ex pluribus ibidem relatis dicunt, *probabiliorem*, *communiorem*, *veriorem*, aut *tutiorem*: ex ipſo ſenſu verborum, & principiis reflexis de licito uſu Probabilismi concludenter infertur; ergò ſententia iſtis oppoſita debet & judicatur eſſe *probabilis*, *communis* (ſaltem multorum) *vera*, & *tuta*; ſicque ex teſtimoniis irrefragabilibus habemus ſententias *certò probabiliores*, & *certò minùs probabiles*.

Jam omnes iſtæ Sententiæ, omnes opiniones, aſſertiones, & doctrinæ morales, quæ & quatenus à communi, & communiore Theologorum in cenſum minùs probabilium collocantur, in ſyſtemate Antiprobabilismi, & Probabiliorismi à commer-

mercio uſûs practici excluduntur, atque extrà curſum reprobatæ inſtar monetæ ponuntur; & ſic ſola Probabilismi relegatione, eóque extrà ſtatum uſûs liciti rejecto, univerſis doctrinis magis laxis, & minùs probabilibus jus civitatis adimitur. Cùm econtrà in Principiis Probabiliſtarum omnibus doctrinis, ſententiis, aſſertionibus, & opinionibus utùt laxis, minùs tutis & minùs probabilibus, in Republica Morali liberum competat exercitium, dummodò ſigillum veræ probabilitatis à quibusdam gravibus Auctoribus impreſſum gerant, & adhuc practicè probabiles declarentur; Et quod plus eſt, cùm juxtà Theſes heri in Suevia renovatas, uſus Probabilismi ſit maximè tutus, & uſus Probabiliorismi maximè periculoſus; meritò inde inferre licebit, ſequelam opinionum minùs probabilium eſſe probabilioribus in praxi præferendam, tanquam magis tutam. Quòdſi inſuper cum P. Cardena diſſert. 4. Cap. 3. ſuſtinere quis voluerit, quòd liceat ſequi opiniones non ſolùm *certò*, ſed etiam *probabiliter tantùm probabiles*, quanta prodibit collectio opinionum ſic probabilium, & tamen, ùt prætenditur, tamen in praxi maximè tutarum? ita ut nonnulli ex Probabilismi Patronis hanc licentiam ſequendi probabiliter tantùm probabiles negandam cenſuerint.

In Studio Morali ſiquis non mera compendia, ſed volumina Theologorum ma-

gis ampla evolvere, & consulere voluerit, nulla profectò materia, nullus titulus erit, in quo non plures & plures v. g. apud Dianam, Salmanticenses, Castropalao, Gobat, Tamburinum, Sporer, Lacroix, aliósque occurrant Sententiæ ab Auctoribus nonnullis defensæ & propugnatæ, quarum magna pars tantas præsefert laxitates, ut mirum videatur, quomodo Viri Docti potuerint similibus opinamentis approbationis suæ calculum impertiri.

Reponi quidem potest ejusmodi opiniones non esse *verè probabiles*, adeoque per ipsum Probabilismum à Commercio actionum licitarum jam excluſas esse. Reponi quidem similia possunt; sed per istam replicam aliquid ad speciem dicitur; in substantia verò nihil salvatur, neque periculis abusuum via præcluditur. Etsi enim ejusmodi opiniones & Sententiæ de se, & libratis ad pondus Sanctuarii rationum momentis, non sint verè probabiles; fuerunt tamen à suis Patronis ita excultæ, ingenti argumentorum, Paritatum, Consimilium, & illationum apparatu incrustatæ, & ad eum verisimilitudinis gradum promotæ, ut attenta Auctoritate Virorum, à quibus testimonium & sigillum veræ Probabilitatis impressum præferebant, & perspecta rationum cultura, qua expolitæ fuerunt, hominibus etiam Litteratis certò probabiles apparere debuerint. Testimonium

nium hujns asserti desumere licet ex thesibus proscriptis, utpote quarum multæ à suis assertoribus tanta verisimilitudinis apparentia exornatæ fuerant, ut cordatus, & rerum maximè perspicax æstimator fuisse is debuerit, qui eis gradum veræ Probabilitatis ante censuram Sedis Apostolicæ abjudicare, & larvam veritatis detrahere voluisset; nam ostensum superiùs jam est, de *Probabilitate intrinseca* sat dignè judicare non posse, nisi Viros in rebus NB. Theologicis Versatissimos. Si igitur constet, quòd opinio aliqua, quæ videtur laxior, defendatur à non paucis Theologis, nec ab aliis extrà fines veræ probabilitatis relegetur, aut improbabilis declaretur; quid prohibet, quominùs homines etiam Litteratissimi (quorum tamen vocatio non est Scientiam Moralem, & Theologicas speculationes tractare) talem Sententiam sine cunctatione inter certò probabiles recipiant; præcipuè si videant, quòd ex Theologiæ Magistris non desint, qui Sententiam talem positivè defendant, & multis rationum momentis propugnent, quin tamen ea ab aliis inter absolutè falsas, & improbabiles rejiciatur; hinc quilibet, qui ex professione sua Studio Theologico non est consecratus, potest talem opinionem jure meritissimo probabilem existimare; & sic janua aperitur quibusvis Doctrinis laxioribus, juncto præsertim Aphorismo, quòd

usus Probabilismi sit maximè tutus. Quòd si prætendas illas opiniones, quæ apud prolixiores Sententiarum Relatores passim occurrunt, suis defensoribus visas fuisse probabiliores; tunc respondeo, transmisso etiam hoc, aliud exinde non sequitur, nisi earum usum fuisse licitum illis solis, & paucis fautoribus, quibus ita videbantur probabiliores, non autem aliis, quibus videbantur minùs probabiles. At verò in Systemate Probabilismi tales opiniones laxæ & laxiores omnibus omninò operantibus sine exceptione sunt practicè tutæ: Quatenùs igitur eas scandalosas esse supponitur, in Systemate Probabilistico omnibus, & in Probabilioristico non nisi paucis earum receptoribus in Ruinam Spiritualem cedunt; & quidem cum hoc discriminis interventu, quòd earundem defensores usum earum licitum censeant, quia eas judicant probabiliores; & Probabilistæ usum earundem ab omni periculo peccati formalis absolvant, licèt cognitæ ùt minùs probabiles ad praxim deducantur.

De veritate argumenti, de quo hactenus fusiùs, quàm gratum est, disputatum fuit, nulla alia via convinci quis fortiùs poterit, quàm si Centuriæ, phalanges, & copiosæ Catervæ opinionum minùs tutarum, probabilium, laxiorum, & certò laxarum, quas varii Auctores dispersim defendunt, sub uno conspectu congregatæ simul exhibeantur.

Mag-

Magnam talium Propositionum partem (at non omnes) in justos manipulos, & turmas collectam invenies apud P. Danielem Concina in Theologia Christiana; & quamvis multæ earum opinionum, quas præfatus Scriptor collegit, ex fontibus non sat fideliter extractæ asserantur, si tamen illæ tantummodò considerentur, de quarum fideli relatione nullum fuit dubium motum, tanta nihilominùs post exactam cum fontibus collationem superstes remanebit multitudo Sententiarum certò laxarum, vel nimis rigidarum, ut earum solus conspectus admirationem primùm, dein horrorem, & demùm detestationem cuivis christianè sentienti creare debeat: Et tamen plerisque ex illis opinionibus Systema Probabilismi januam aperit, jus Civitatis, & liberam praxim eis indulget, eàsque in protectionem tacitè recipit. En! demonstrationem si non Mathematicam, saltem domesticam. Pleræque ex illis, & consimilibus Sententiis tenentur, & propugnantur adductis rationum fundamentis à suis fautoribus, & ab aliis morum Magistris non reprobantur; neque sunt à Sede Apostolica hactenus confixæ, sed scienter toleratæ; nituntur gravi ratione, nec adversantur Legi, vel Statuto, aut consuetudini receptæ & certæ, ergò ex meritis Possessorii & Petitorii, jure Probabilitatis practicæ ex principiis reflexis gaudent. Jam quòd tales Sententiæ à nonnullis sustineantur, & defensæ fuerint, & ab aliis saltem communi suffragio non soleant falsitatis convictæ reprobari, nec igne, & aqua interdici, est res facti, & tutò supponitur: & quòd earundem Patroni, & fundatores sint viri graves, & eorum rationes pariter graves, præsumitur ex eo; quia Sententiæ istæ cum suis Auctoribus à cæteris Theologis saltem apertè non reprobantur. Quandò enim homo mundanus pro tranquillanda conscientia, pro Justificatione propositi

negotii, pro cognoscenda justitia causæ vel contractûs, reperit Sententiam aliquam à quibusdam defensam, & ab aliis, quos consulit, inter prorsûs improbabiles & apertè falsas non rejectam, tunc in principiis probabilisticis ad plus non potest obligari; cùm ipsius non sit probabilitatem intrinsecam diuturno processu trutinare, utpote quod muneris incumbit solis Theologis. Deinde unde Negotiator sæculi, unde Capellanus, vel Parochus Ruralis, unde Religiosus Confessarius, unde plerique omnes rescire queunt, hunc vel illum Auctorem, qui pro Sententia cum aliis allegatur, non esse classicum, aut ita exiguæ Authoritatis, ut ejus Sententia inter verè probabiles reponi non mereatur? Index enim Librorum prohibitorum in paucorum manibus & usu est.

§. XLVIII.

Ex his jam fluit Tertia Ratio judicandi inter Innocentiam utriusque Systematis tam Probabilistici, quàm Antiprobabilistici, ex Studio Morali derivari solita. P. Thyrsus Gonzalez cum aliis dudum observavit, quòd Probabilismus reddat Studium Theologiæ moralis potissima ex parte inutile, & planè nugatorium. Quicunque huic Studio dies aliquandò aut annos consecrarunt, vel in lectione Moralistarum versati nonnihil fuerunt, ab experientia comperetum habebunt; quanto labore, quanta contentione, & quàm acribus disputationibus disquiratur: Quænam super quavis materia vel quæstione Sententia ex pluribus

bus ſit verior, veriſimilior, Probabilior, vel fortioribus firmata rationibus. Ad quid, quæſo, perditio hæc, ſi opiniones minùs probabiles pariter cum probabilioribus ſunt practicè certò tutæ? vel ſi uſus Probabilismi eſt maximè tutus? ad effectum enim, ut quis præciſè ex Conſilio ad majus perfectionis Studium ſequatur doctrinas probabiliores, tanto ſtrepitu, & temporis jactura non eſt opus; quia non niſi pauciſſimi pœnitentum conſilia curare ſolent, præſertim ſi ſciant contrarium & minùs difficile, & tamen tutum ac ab omni peccati periculo remotum eſſe. Solennis tractandi quæſtiones controverſas apud Doctores Scholaſticos modus notorius hic eſt: Præmiſſis materiæ titulo, Prænotandis, definitionibus & diviſionibus &c. aſſignari ſolent Sententiæ, quæ circà propoſitam quæſtionem magis ſunt celebres, & attentione dignæ, de quarum una, vel pluribus, cum ſuis fundamentis præmiſſis, aſſeritur: hæc, vel illa Sententia defenditur quidem à multis, & eſt admodùm probabilis, vel ſua non caret probabilitate; ſed hæc, quæ ſequitur, & cui aſſentior, eſt verior, probabilior, & magis veriſimilis; quæ dein beneviſis rationibus diu multùmque ſtabilitur, ac denique Probationibus ſubjiciuntur Reſponſa ad Rationes in contrarium. Sed ad quid, aut cui bono iſta ſerviant? niſi ut quivis lector ſciat, unam ex iſtis

Sententiis esse verè probabiliorem, & consequenter alteram, vel plures alias esse adhuc verè probabiles, & practicè tutas: Secùs enim Auctor de sua, quam adoptat, opinione concluderet: hæc est certa; est unicè probabilis, & sola in praxi tuta; nam merè *Probabilius*, & merè *tutius* supponunt in Grammatica Probabilistarum ex adverso veram probabilitatem, & tutam talium opinionum sequelam. Cùm igitur Lex tantùm probabiliùs existens non sit sufficienter promulgata, & quivis ex verè probabili agens, prudenter agat; ideò sequitur, quòd operans secundùm minùs probabiles formaliter æquè benè ac prudenter agat, ac ille, qui secundùm probabiliora operatur; qui si hoc non ex mero consilio, sed ex obligatione faciendum judicaret, incideret in Probabiliorismum maximè pernicioſum. Et hic demum fructus est, qui ex vigiliis, & diuturno Studio Theologiæ moralis hauri in fine consuevit. Rebus de licentia Probabilismi ita constitutis, id Theologi morales maximè, imò unicè curarent, ut ostenderent, quænam Sententiæ & doctrinæ sint adhuc verè probabiles, & quænam non ampliùs sint verè probabiles, adeoque practicè non ampliùs tutæ; si enim usus doctrinarum minùs probabilium est omninò tutùs, maximè utilis, adeoque in praxi maximè commendabilis, tunc laboriosæ indagationes super probabilio-

bilioritate Sententiarum ſanè aliud non ſunt, quàm meræ ventorum venditiones, aut omninò plurimorum abuſuum, laxitatum &c. occaſiones, dum exinde Theologiæ moralis Studioſi, imò & leviculi ac tepidi (ne plus dicam) quidam animarum Curatores pro quavis materia moralitatis ſcrutari & ſeligere poſſunt opiniones minùs probabiles, quas dein in Praxi Probabilioribus & tutioribus ſimul præferant. Aliud enim quid illi Doctores, circa inveſtigationem & ſelectum opinionum probabiliorum à minus probabilibus adeò ſoliciti, intendant, non video; niſi dicatur eos ſpectare fructum ex ſequela Probabiliorum, quas adeò commendant, opinionum oriturum; ſed ſi hunc ſeriò intendunt, tunc tacitè ſaltem profiteri Syſtema Probabilioriſticum convincuntur. Caveant proin magis accurati Diſcuſſores & Commendatores Sententiarum probabiliorum, ne præter intentionem in ſectam incidant, quæ toties cum Inquiſitis ſi non ad rogum, certè ad perpetuos carceres ablegatur.

Nequis autem apud ſe indignabundus cogitet: iſta ſic confuſim dicta ad Scopum preſſè non concludunt de majore Innocentia Probabiliorismi præ illa Probabilismi. Ecce! in pugnum contrahamus argumenta. Probabilismus inutiles facit conatus, labores, & induſtrias millenorum Theologorum & totidem Jurisconſultorum, quos

à

à duobus & ampliùs fæculis pro utilitate Publici & Disciplinæ Christianæ susceperunt; quibus tamen omnibus in Systemate Probabilioristico maxima fructuum ubertas in Republica Christiana respondet; ergò &c.

Porrò Probabilismus Sententiis, opinionibus, & Doctrinis omnibus, Sigillo probabilitatis ab aliquibus munitis, & ab aliis communiùs non reprobatis, Portam Civitatis aperit, liberam praxim concedit, & earum sequelam innoxiam universim declarat. Cùm igitur Doctrinæ minùs probabiles jam per se sint minùs tutæ, & insuper sub habitu & comitatu veræ Probabilitatis plurimæ laxæ, & laxiores facilè se intrudant, hinc liber usus merè probabilium certè moribus Fidelium magis est periculosus, quàm probabiliorum; quia Probabiliorismus nullis doctrinis, nisi charactere & Sigillo majoris probabilitatis insignitis liberum in Republica Christiana exercitium indulgere consuevit.

Probabilismus fermè solus asylum aliquandò præbuit, & jus exercitii liberi thesibus damnatis indulsit; quia earum nullæ, aut nonnisi paucissimæ fuerunt ante damnationem inter Theologos communiores, & ùt probabiliores receptæ, sed ad summum fuerunt toleratæ ùt minùs probabiles; ergò de Innocentia Probabiliorismi magis constat, quàm de adversa Probabilismi.

Pro-

Propositio ab Alex. VII. num. 27. damnata sic sonat. „Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet „opinio censeri probabilis, dummodò non constet, „à sede Apostolica rejectam esse tanquam improbabilem. P. Cardenas apud Lacroix n. 153. fatetur, istam Doctrinam *radicem fuisse plurimarum conclusionum improbabilium, & scandalosarum*; Et quare hoc? quia Auctores etiam docti & pii lubin amant esse Sectatores Novitatum, & sic relictis doctrinis communioribus & probabilioribus, singulares opiniones ita excolere studeut, ut eis suprà modum suffragantes, alios quoque apparentiâ rationum suarum decipiant.

Eadem pravitatis sequela locum habebit, si paucorum Doctorum opiniones amplecti licebit, quas contrà doctrinas communiores & communiter receptas, tenendas proponunt, sicque practico usui venum exponunt. Sunt enim, & fuerunt Scriptores, de Republica Litteraria se benè meritos non existimantes, nisi vel Sententias jam inveteratas & exoletas ad culturam practicam, Novatium instar, speciosò argumentorum apparatu exornaverint, vel nova opinamenta in chorum Probabilitatum introduxerint. Sed torrenti ejusmodi opinionum singularium, ne totum Ecclesiæ Regnum inundet, vallum opponit Probabiliorismus, utpotè juxtà cujus Principia earum exercitium practicum tamdiu interdictum manet; donec Auctoritate Judicii Publici in matriculam Sententiarum probabiliorum referantur, quod tamen de plerisque minimè sperandum erit. Longè aliter se res habet in Systemate Probabilistico; siquis enim opinionum suarum merces vel ad infimum veræ Probabilitatis valorem provexisse animadversus fuerit, juxtà Principia Probabilismi ejusmodi opiniones sine mora Jure civitatis & liberi Exercitii gaudent, non curandô, quidquid alii & numerô & Doctrinâ longè Præstantiores Doctores in contrarium moveant.

ANI-

ANIMADVERSIO XVIII.

Utrùm Probabiliorismus, vel Probabilismus majori reprobationis periculo ſit juſtè expoſitus.

§. XLIX.

Si uſus Probabiliorismi 1. *eſt maximè periculoſus*, & 2. *degenerare in Rigoriſmum* & ultimatò *inducere Laxiſmum* ſolet; tunc is procul dubio reprobationi & damnationi expoſitus eſſe jure cenſendus eſt.

Primum (quòd nempe *uſus Probabilioriſmi ſit maximè periculoſus*) ut probent Adverſarii, duas rationes afferre ſolent. *Prima* eſt; quia Probabiliorismus rejicit Principia reflexa, ideò (inferunt) per illum tollitur omnis certitudo ultimi Dictaminis excluſiva formidinis peccati. *Secunda eſt*; quia ex Principiis Probabiliorismi inducitur *impoſſibilitas moralis* in dubiis aſſequendi honeſtum, & Judicium Rectum. Id quod ulteriùs Exemplô Judicum Fori externi confirmare nituntur. Judicibus Sæcularibus, ajunt, magno labore, Studio multo, & longo tempore opus eſt, ut audiatis utrimque Teſtibus, expenſis probationum Inſtrumentis, Præſumptionibus, Exceptionibus, Replicis, Duplicis & Triplicis, cognoſcere valeant, utrius partium liti-

tigantium cauſa ſit probabilior. Jam ſi idem fieri oporteret in Judicio Fori interni, ſi v. gr. Confeſſariis in Germania (quorum ſacra Tribunalia non rarò 50. & ampliùs pœnitentes circumſtant, iiſque omnes intrà aliquot horas expediendi) non liceret procedere juxtà Sententias probabiles, ſed tenerentur in quavis Præceptorum materia circà tot diverſas circumſtantias, peccata, & peccatorum ſpecies ſemper probabiliora ſectari, & priùs immenſo labore examinare, perpendere, & determinare, quid magis, quidve minùs probabile judicandum ſit &c. utique tunc munus Confeſſarii fieret onus intollerabile? utique talis obligatio importaret impoſſibilitatem moralem, efficeretque conditionem tam pœnitentûm, quàm Confeſſariorum longè miſerrimam! ita Probabiliſtæ. Sed

Reſp. 1. ad 1. rationem negandô, quòd in Principiis Probabiliorismi *omnis tollatur certitudo Dictaminis reflexi.* Ecce! Auctoritas & conſenſus omnium, aut ferè omnium Doctorum, uſum opinionum Probabiliorum tutum aſſerentium, obvium eſt Principium Dictaminis certi, ùt ſuprà jam oſtenſum eſt. Quòd autem Probabilioriſmus tollat certitudinem Dictaminis reflexi ex parte Syſtematis Probabiliſtici, hoc ultrò admitto; ſed quid inde?

Reſp. 2. ad 2. rationem, iterum negandô, quòd ex Principiis Probabiliorismi *in-*

duca-

ducatur moralis impossibilitas in dubiis assequendi honestum, & Judicium Rectum. Quæ enim impossibilitas vel difficultas insuperabilis sit sequendi Sententias, quas Theologi maximè obvii v. gr. Salmanticenses, Castropalao, Azor, Sporer, Holzmann, Elbel, Laymann, Lacroix, Babenstueber, Illsung, Taberna &c. asserunt esse Communiores & Probabiliores, & etiam Judiciô omnium, vel ferè omnium ùt tales habentur. Quemadmodùm ergò nulla est impossibilitas moralis, vel labor Herculeus legere & intelligere ex libro Moralistæ obvii, quænam Sententia ex pluribus circà eandem quæstionem moralem asseratur communior, Probabilior, ac verior; ita nulla erit impossibilitas cognoscendi & in memoria retinendi Sententias Communiores & Probabiliores. Certè difficultas discernendi Sententias Probabiliores à probabilibus non erit major, quàm illa discernendi verè probabiles à tenuiter probabilibus, vel omnino improbabilibus, præsertim post damnatam ab Alexandro VII. n. 27. sequentem propositionem: *Si liber sit alicujus Junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dummodo &c.* Et si tu mi bone Probabilista nihilominus miseros dixeris pœnitentes & confessarios, si eis licitum non esset procedere secundùm Doctrinas minùs probabiles; æquè miseros fateri debebis Medicos cum infirmis, & Judi-

ces

ces cum Partibus litigantibus, ſi v. gr. Medicus 20. 30. & pluribus in Infirmaria decumbentibus intrà aliquot horarum ſpatium media Probabiliora præſcribere; aut Judex in una Seſſione 20. & pluribus officium Judicis implorantibus Jus ſecundùm Probabiliora dicere, & Juſtitiam adminiſtrare debet; ut nihil dicam de Sacramentorum Miniſtris. An ergò, quod facere tenentur Judices Fori externi, & Medici corporum, id impoſſibile factu ſit Judicibus Fori interni & Medicis animarum? præſertim cùm hi cauſam tractandam ſumant tantò majoris momenti, quantò ſalus animarum æterna illi corporum temporali præſtat. At fortè difficiliùs eſt Judici & Medico Spirituali veritatem cauſæ & Statum morbi indagare, quàm Judici ſæculari & Medico corporali? imò longè faciliùs. Ecce! Reus accuſatus in Judicio externo (quia id genus hominum omni modo poſſibili, negando & pernegando, proteſtando & excipiendo Sententiam damnationis evadere nititur) plurimum negotii Judici faceſſit; donec veritate per legitima teſtimonia, per diverſarum quæſtionum ambages, imò & per tormenta, expreſſâ, Reus convincatur: dum è contrario in Judicio Fori interni reus ſive pœnitens ordinariè ſpontè jam ad Confeſſionem veritatis paratiſſimus eſt. Sic etiam Medicus corporalis multô negotiô & diligenti

inquisitione opus habet, ut statum morbi ad summum probabiliùs possit cognoscere, ubi nec ipse infirmus, utpotè sui corporis intestina non introspicere valens, se sufficienter explicare potest. At Medicus spiritualis longè facilius & certiùs per diligentem & discretam inquisitionem statum morbi animarum explorare valet, præsertim si pœnitentes (prout sciunt, possunt, ac debent) ulcera animæ suæ fideliter detegant. Et tamen Judices sæculares ac Medici corporum teneantur sequi Probabiliora? Judices verò ac Medici spirituales non teneantur?

Porrò conditio & status pœnitentis, si casus difficiliores & intricatos attulerit, ordinariè facilius indulget spatium deliberandi, librósque consulendi, quàm conditio infirmorum periculosè decumbentium. Si ergò Medicus corporum in promptu habere tenetur medicamenta probabiliùs profutura; cur ad probabiliora non teneatur Medicus animarum, cui insuper in casibus magis intricatis conceditur spatium inquirendi? Cur impossibile factu sit Confessario illud, ad quod Judex & Medicus ex præcepto tenentur? Consequenter sicut Judex & Medicus ex continuo studio & quotidiana praxi pro quovis morbi genere, & statu causæ controversæ, saltem non extraordinariæ, Doctrinas probabiliores in scrinio Scientiæ suæ paratas habere tenentur;

tur; ita idem oneris Judici & Medico animarum intollerabile videri non debet.

Ad Exemplum de Judice Fori externi pro confirmatione 2. rationis adductum, Resp. 1. invertendô argumentum; sicut enim Judici sæculari Scientiâ Juridicâ satis instructo impossibile non est, post diligentem inquisitionem, post expensas utriusque partis probationes, cognoscere, utrius causa sit probabilior; ita Judici spirituali in Studio Morali & lectione Moralistarum benè versato impossibile non erit, post diligens Examen & perpensionem statûs pœnitentis cognoscere, quid spectatis omnibus probabilius sit censendum. Resp. 2. negandô paritatem. Inter Judicem Fori externi & interni hoc discriminis intercedit; quòd Judex sæcularis in una causa cum diversis Personis diversa agere debeat; alia enim Persona, est Actor, alia Reus aliæ, Personæ sunt testes, & horum omnium quivis alio & diverso modo audiendus & exanimandus est; quid ergò mirum si talis Judex longiori tempore, majori diligentia & conatu opus habeat ad eruendum & cognoscendum, cujusnam partium litigantium causa sit probabilior? Econtrà Judici fori interni non nisi cum una unica Persona agendum, quæ simul Actor, Reus, & testis est, & ordinariè per se jam parata ad dicendum verum; quanti ergo minis adeò insuperabilis respectu Confessa-

rii sit, post diligentem inquisitionem & perpensionem statûs pœnitentis cognoscere & determinare, quid probabilius appareat, quidque probabilius resolvendum? præcipuè si aliunde jam ex diligenti lectione Moralistarum sciat, & in memoria retineat, quænam Sententiæ in quavis materia plurimorum Auctorum Judiciô probabiliores, & quænam minùs probabiles censeantur. Resp. 3. loquendo de Judice utriusque fori, illa prætensa impossibilitas & insuperabilis difficultas non est tanta, quanta oculis non benè distinguentium inter rotundum & quadratum, apparet. Secernantur benè *Dubia Facti à Dubiis Juris*, & evanescet maxima pars difficultatis. In quæstione de licito usu Probabilismi strictè loquendô sermo tantùm est de ipsis legibus, Juribus, & Sententiis Auctorum dubiis, probabilioribus scilicet & minùs probabilibus, consequenter de Doctrinis *objectivè* & inter Scriptores *speculativè dubiis*. Sic inter plurium Jurium Legumque Dispositiones, inter diversas Interpretum Sententias, inter Statuta & consuetudines particulares tenentur Judices sectari probabiliores, quatenùs pro Statu causæ litigioso nulla *certa* adesse cognoscitur Legis dispositio; quotiescunque enim ad decisionem Litis haberi potest Lex aut dispositio Juris certa, toties ex adverso evanescit & supprimitur omnis probabilitas: in concursu autem

tem Legum & Interpretationum ſibi invicem oppoſitarum Judex ad electionem probabiliorum obligatur; quia in tali conflictu Legum & opinionum, certa veritas haberi nequit; adeoque tunc Ignorantia Juris certi eſt invincibilis. Jam procul abeſt à Judiciis benè ordinatis, ut Partibus Litigantibus ex neceſſitate & ordine Proceſſûs incumbat, Leges & Jurium diſpoſitiones adducere; quinimò in Celebrioribus Tribunalibus ejusmodi Legum & Auctorum moleſtæ allegationes non tolerantur, ſed ad Rabuliſtarum claſſem relegantur; quia ipſe Judex debet & ſupponitur Jura in Scrinio pectoris ſui jam parata habere. Qua de cauſa ad ſuggerenda Jura, ad ſubminiſtrandas Leges & Interpretum probabiliores aut minùs probabiles ſententias, ad diſcernenda & ponderanda rationum momenta talis Judex non indiget alienâ Litigantium induſtriâ, & ſuperfluâ curâ; ſed ipſius Judicis munus & officium exigit, diſpoſitiones Juris & Leges jam aliunde cognitas & perſpectas habere. Et ſic ex parte *Juris* reſpectu Judicis ſatis periti nulla eſt tam grandis difficultas, quæ uſum Probabiliorismi moraliter impoſſibilem, aut omninò perniciosum efficiat. Quòdſi autem Judex non ſit ſatis expertus aut ſufficienti ſcientia inſtructus, tunc ceſſat Status quæſtionis; quia verſamur extrà

trà Sphæram Ignorantiæ invincibilis. Hæc de concernentibus *Quæstionem* & *dubia Juris*.

Quæ autem superiùs de audiendis Testibus, de præsumptionibus, exceptionibus, Replicis & Duplicis, imò de toto Telæ Judiciariæ complexu in contrarium allata sunt, hæc omnia utpotè extrinseca *quæstionem Facti* spectant; ubi, cùm veritas de se haberi possit, cessat Ignorantia esse invincibilis, adeóque iterum versamur extrà Statum quæstionis; vel si in his *dubiis facti* aliquis Probabilismi usus locum haberet, is alius non foret, nisi merè *subjectivus*, quatenùs per omnia Processûs Informativi media, certitudo *Factorum* (non *Juris* & Sententiarum) obtineri haud possit.

Idem cum proportione est judicium de Confessario, tanquam judice Fori interni. Distinguendo enim *dubia juris* à *dubiis facti*, totum destrues murum assertæ difficultatis. Confessarius siquidem peritus in materiis frequentiùs occurrentibus, ignorare non debet doctrinas probabiles & probabiliores; si autem earum memoriam perdiderit, hæc jactura non est invincibilis; ergò ex parte *juris* non habebit difficultatem in una hora 20. confitentibus Sententiam ferre justam, & Regulis Juris conformem. Et sic P. Thyrsus Gonzalez tutò dicere potuit, quòd uno manè 68. Confessiones generales audierit, quin meo judicio ex parte *Juris* & usu Probabiliorismi ullam expertus fuerit

rit difficultatem; quia tota difficultas (si-qua ſuboritur) ſe tenere ſolet ex parte facti, ut nempe Confeſſarius in multitudine confiteri volentium, & expeditionem celerem urgentium, qualitates & Species facinorum ritè intelligat; & cùm ex hac parte certitudo per ſe haberi regulariter poſſit, hæc difficultas non attingit Probabilismi quæſtionem, de qua propriè agitur, ſed aliam longè diverſam, v. gr. an multitudo confitentium, confuſio circumſtantiarum, & compreſſio populi, excuſent Confeſſarium à capienda plena & certa informatione factorum, ita, ut ex judicio probabili ad judicium abſolutionis in tali caſu progredi valeat? At hoc peculiare genus Probabilismi non benè confunditur cum altero, de quo ſolennis Controverſia.

Alterum ſuperioris inculpationis caput (quòd nempe Probabiliorismus in Rigoriſmum excurrat, & ſimul Laxismum inducat) probant Adverſarii tum ex difficultate inquirendi *ſemper* in Probabiliora, tum ab exemplis quorundam Hæreticorum, qui per exceſſum Rigoris in apertos prolapſi ſunt errores. Rigorismus, & Laxismus ſunt duo extrema maximè oppoſita, & duo mala in Republica Chriſtiana non ferenda. Sed ſalvo meliori exiſtimo, de iſtis imputatis legitimè nondum conſtare. Syſtema Probabilioriſtarum præcipit mo-

raliter impossibilia, adeóque in Rigorismum degenerat, *si* obligationem imponat, *semper* inquirendi in probabiliora. Imprimis enim impositio criminis est tantùm conditionata: *Si memoratam obligationem imponat.* Hinc in probationem hujus assertî exspectantur testimonia fide digna. Deinde si obligatio inquirendi semper in probabiliora inducit Rigorismum, & præcipit impossibilia, tunc Ecclesia eandem obligationem Medicis, Judicibus, & ministris Sacramentorum imponens, pariter impossibilia præcepisset, & ad partes Rigorismi deflexisset. Sacrosanctæ Theologiæ Professorum obligatio est, & quidem dum ad Pulpitum, & non dum in Confessionali sedent, inquirere in probabiliora, & eadem à minùs probabilibus segregata aliis proponere; ut adeò procedentibus in praxi alius non superstit labor & obligatio, nisi ex Thesauro probabilium probabiliora seligere; sicut Judex & Medicus probabiliora jam aliunde cognita eligere, & non primùm tunc in illa inquirere debet, quandò de vita periclitantibus remedia salubriora præscribere, & Judex certantibus de fortuna temporali, officio ministerii sui succurrere debet. Dein quis Probabilioristarum dixit unquam, quòd semper teneamur inquirere, & sequi sententias nonnisi probabiliores, etiam tum, quandò necessitas, ipsa cura salutis, vel gravis causa extrin-

seca

ſeca uſum opinionum objectivè minùs probabilium reddunt in praxi unicè tutum, utilem, aut prudentiùs eligibilem; utpotè in quibus caſibus Miniſter quoque Sacramentorum, & Medicus præſertim, ad media confugere debent de ſe minùs efficacia & minùs certa; quia copia adhibendi media de ſe meliora non datur. Sic Probabiliorista bene ſequitur, imò ſequi tenetur Sententias minùs quoque probabiles, quandò neceſſitas peculiaris uſum, & ſequelam probabiliorum reddit inobſervabilem; vel ſi major & certior ſpes ſalutis in particulari dependere animadvertitur ex obſervantia ſententiæ minùs probabilis. Verùm in ejusmodi eventibus tales opiniones non ideò ſunt utiles & practicè tutæ, quia & quatenus ſunt minùs probabiles, ſed quatenùs concurſus circumſtantiarum extrinſecarum, & ſymptomata ſubjectiva faciunt eas pro tali caſu probabiliores, vel unicè aut magis tutas. Hoc denique Probabiliſtæ aliquando palam edicant: an Probabilismi uſum *generatim*, *in omnibus caſibus*, & *pro mero libitu* operantium, *ſemper* & *ubique*, licitum, tutum, innocentem & commendabilem exiſtiment? Ita ut cuivis conceſſum ſit (etiam quando nulla neceſſitas, utilitas vel gravis ratio id ſuadet) pro mero exercitio Libertatis in omni Legum materia Sententias merè vel minùs probabiles ſeligere & ſectari, idque absque periculo

peccati formalis? Sumamus dilucidationem argumenti ab obligatione Medici. Ecce! Si is novit quidem medicamenta efficaciora, & ad curandum morbum certò tutiora; intelligit autem ſimul illorum pretium ſuperare tenuitatem peculii, vel Statum infirmi; tunc Medicus ineptiſſimè homini egeno præſcriberet medicamina multùm pretioſa, etſi certò eſſent magis profectura. Sic viventibus ex opera manuum ſuarum, & hominibus inferioris ſortis fruſtrà ordinaret uſum balneorum in longinquis regionibus, etſi recuperandæ valetudini judicentur aliis mediis certò conducibiliora: Et ſic in quotidianis eventibus Status & conditio! Patientis reddit media de ſe minùs proficua & minùs efficacia, hìc & nunc unicè profutura & unicè tuta. Verùm quandò ſtatus & conſtitutio infirmi uſum medicamentorum probabiliorum admittunt; tunc Medicus tenetur ea ex obligatione adhibere. Pari modo, ſi ſtatus & ratio operantis & pœnitentis impos eſt admittendi uſum Sententiarum probabiliorum, aliud non remanet, niſi ut procedatur ſecundùm minùs, & tamen pro circumſtantiis caſûs, unicè probabilia. At ſi ex parte operantis, & ſpectata conſtitutione pœnitentis nulla ſingularis intervenit ratio difficultatis, quæ uſum probabiliorum nimis difficilem, & eventum fructuoſum Jure ancipitem efficeret; tunc in ejusmodi caſibus

jam

jam quæritur: utrùm & pœnitens infirmus & Medicus Spiritualis coràm Deo impunè agant, ſi, mediîs ſalutis tutioribûs & probabilioribûs relictîs, ſecuritatem aſſequendi finem ultimum reponant in mediis & viis ex ſe minùs tutis & minùs probabilibus? Idque ex decantato Probabiliſtarum principio; *quia non conſtat de obligatione ſequendi probabiliora?*

Secunda ratio, ex qua Probabiliorismus Rigorismi & ſimul Laxismi reus agitur, ducta ab exemplis Hæreticorum ex nimio Rigore in errores prolapſorum, unum iterum Statum quæſtionis cum alio prorſùs diverſo, & unum genus Probabiliſtarum cum altero diverſiſſimo confundit. Totus Exercitus & univerſa militia Probabilioriſtarum, de quibus in hac diſputatione ſolet eſſe ſermo, alios non includit Viros, Doctores, & milites Literatos, niſi eos præciſè, qui hanc unicam & ſolam Sententiam *de licito uſu opinionum minùs probabilium* oppugnant, quique huic ſoli ac generali Principio *de licita ſequela Probabilismi* adverſantur, non attendendô, quid quivis ex illis Auctoribus circà alias doctrinas teneat, vel unquam tenuerit. In agmine verò Probabiliſtarum omnes & ſoli illi cenſentur, qui *uſum Probabilismi licitum propugnant*, & in hoc ſolo contentionis puncto prioribus adverſantur, ſine omni reſpectu & reflexione ad cæteras Sententias, quas qui-

quivis eorùm sivè singilatim, sive turmatim cum aliis, vel communiter sustinendas censeat. Priores pro Tessera habent: *Vivat Probabiliorismus cum jure primogenituræ.* Posterioribus autem in Tesseram cessit: *Vivat Probabilismus sub duce Medina.* Qui jam munitionem Probabiliorismi antonomasticè talis propugnant, & castellum Probabilismi ex adverso situm oppugnant; hi sunt illi viri, qui ab objecto defensionis suæ Probabilioristarum nomen sortiuntur. Econtrà illi, qui castellum Probabilismi tuentur, Probabilistæ propriè nuncupantur.

Jam illi Hæretici, qui cum Montanistis, & Tertuliano in errores nimii Rigoris prolapsi sunt, nomina sua militiæ moderni Probabiliorismi tam parum unquam dederunt, quàm parùm alii Hæretici sub vexilla Probabilistarum recepti sunt, qui volunt, nihil esse credendum, nisi quod ex textu & sensu S. Scripturæ per se certo & ita claro manifestum sit, ut non valeat alium sensum, aut aliam explicationem recipere; quin attendendum putent ad sensum communem Ecclesiæ, sed satis esse Probabilismum merè subjectivum, & dictamen Spiritûs privati existimant.

Porrò si tenentes cum Probabilioristis subinde docueruut Sententias in particulari benigniores aut laxiores, id tam parum est effectus Probabiliorismi, quàm parùm ef-

fectus est Christianismi, si Christiani Laxissimum sectentur vitæ genus. Nulla est consecutio hæc: Christiani in praxi laxissimè subin vivunt; ergò Christianismus germanissimus debet vel solet in Laxismum excurrere. Quandò Probabilioristæ laxam docet Sententiam, nemini nocet; quia ex ejus principiis reflexis & generalibus, Sententias directas non licet sequi, nisi quatenùs habentur probabiliores, & in matriculam Probabiliorismi sunt receptæ. Si ergò subin Probabilioristæ sententias docent laxas vel etiam verè probabiles, illæ tamdiu manent à cursu usûs liciti excluſæ, quousque approbationem & sigillum probabilioritatis reportaverint. Secùs res se habet in Republica Probabilistica, utpotè in qua omnibus doctrinis verè probabilibus usus & jus liberi exercitii conceditur.

Sed invertamus argumentum, & retorqueamus eadem, quibus nos impetunt, arma in ipsam aciem Probabilismi. Ecce! plures ex Probabilistis præsertim ex illis, qui correctioni morum & Missionibus ex instituto operam navant, in praxi sæpè tenent, & sequuntur Sententias rigidissimas & tales, quæ in se & directè ampliùs vix sunt probabiles; ergò Probabilismus germanissimus debet in Rigorismum excurrere. Præsens ipsus fui, quandò ejusmodi vir Apostolicus Zelô accensus contrà quemdam usum vel abusum maximè

effer-

efferbuit; & cùm à Viris doctis objectum ei fuisset, quòd ista praxis vel corruptela populi nitatur expressa doctrina Theologorum tunc Nominatorum, reposuit is: pessimè isti docent, quia ex istis principiis 99. prodeunt abusus, donec unus bonus usus. In aliis occasionibus ego & mecum alii animadverterunt, quòd Viri Apostolici ex castris probabilisticis doctrinas juris, & facti suprà omnem modum rigidas universæ eloquentiæ armis urgere ad raucedinem usque laboraverint. Et cur hoc? quia experientiâ edocti cognoverunt, quòd, cùm Theologi in libris suis tradant principia benigna, & Pastores ex istis principiis sic benignis, adjecto uno gradu majoris benignitatis, gregi subministrent doctrinas laxas, quas dein populus ex prava naturæ inclinatione iterùm per unum gradum ad majorem laxitatem extendit, ex illa laxatione & relaxatione disciplinæ, in fonte jam remissæ, maxima tandem morum corruptela descenderit. Et hoc ipsum est, quod satis mirari non possum, quòd scilicet hujus ordinis viri (quibus tamen aliàs omnem venerationem & æstimationem ex merito defero) aliud docere & scribere, & aliud agere & in praxi suadere videantur. In praxi, in confessionali, & ex suggestu docentes sunt Probabilioristæ, semper probabiliora, sanctiora, & tutiora suadentes (id quod benè faciunt) & in Theoria,

ria, in Cathedris, in Scriptis & Disputationibus sunt omnium acerrimi Propugnatores & defensores Probabilismi, ita quidem, ut aliqui eorum oppositam Doctrinam Probabilioristarum tanquam progeniem Jansenismi intueri, & ùt pestem Reipublicæ Christianæ ad internecionem usque persequi non vereantur; & in hoc meô judiciô non benè agunt. Scio equidem quid dicere, quid reponere soleant: Primò, sine necessitate non esse multiplicanda præcepta, consequenter neque peccata. Secundò in Systemate Probabilistico tamen sufficienter consuli tam Honori & Amori Dei, quàm saluti animarum. Honori & Amori Dei quidem; si magis urgeatur observatio Mandatorum ejus certò existentium; saluti animarum verò, si probabiliora, & tutiora suadeantur in praxi, quin opus aut consultum sit, eis strictam obligationem Præceptorum, non certò existentium, cum periculo peccandi formaliter imponere. Omnia benè; si etiam effectus intentus, & non omninò contrarius in ipsa Praxi responderet. Sed tristis experientia testatur, quòd plerumque ex Doctrina Probabilismi, præsertim generalis & illimitati, tot tantique abusus, corruptelæ, & Scandala sequantur, ut non tantùm *probabiliora & tutiora ex Consilio facienda* non observentur, sed tandem etiam *certa*

ex obligatione implenda negligantur. Texamus telam totius Processûs corruptionis.

Imprimis equidem optima fide & intentione agere sibi videntur hi Probabilismi Assertores, utpotè existimantes per hanc suam Doctrinam, tanquam viam mediam inter Rigorismum & Laxismum, optimè salvari tam ea, quæ debitum Deo servitium, quàm ea, quæ salutem animarum concernunt; si nimirum ex una parte observatio mandatorum Dei & disciplina morum *quoad præcepta certa* efficaciter urgeatur, & ex altera parte etiam probabiliora & tutiora *per modum Consilii* in Praxi sedulò commendentur; quin opus sit, conscientias hominum innumeris *Legibus incertis* obruere, & iîs sine necessitate multiplicatîs, etiam transgressiones & peccata multiplicare. Sic illi; sat benè quidem, si Theoriam solummodò spectemus. At in Praxi longè aliter res evenire consuevit. Imprimis enim isti Doctores ex tot centenis imò millenis, suæ Doctrinæ vel in Scholis Auditoribus, vel ex Scriptis & Libris Lectoribus, multos quidem progignent *Doctrinæ Probabilisticæ Sectatores*, sed paucos fortè, & admodùm raros suæ *Praxis* circà commendationem probabiliorum & tutiorum laudabilissimæ *æmulatores*. Ecce jam *primum* & *secundum gradum* ad corruptionem; *laxationem* scilicèt *humanæ libertatis*, & *neglectum consiliorum*. Pergamus ulteriùs. Si dein

isti

isti Theologiæ moralis Studiosi evadant Clerici & tandem animarum Curatores ac Pastores; ex quibus cùm non pauci, utpotè sectandis probabilibus opinionibus assueti, ad summum soliciti tantùm esse soleant pro evitandis noxis gravibus, insuperhabitâ virtutis, aut Perfectionis Christianæ (ne dicam sacerdotalis) curâ; inde jam consequitur *tertius gradus*, qui est *tepiditas*. At non sistunt hìc, qui ex classe sunt tepidorum, sed tandem omninò transgrediuntur terminos Patrum suorum; ut enim mollem, ac luridam suæ vitæ rationem aliquo modo justificare, & conscientiam non nihil latrantem sopire valeant, magis ac magis extendere & dilatare nituntur opiniones probabiles etiam ad casus in iis non comprehensos; aut omninò sibi fingunt novas Sententias probabiles, saltem *subjectivè tales*, dicendô: hoc *mihi* videtur *verè probabile*. Quod dein ipsi agunt, illud in suis Parochianis reprehendere non audent; cumque ejusmodi Mercenarii spiritum & Zelum non habeant, utpotè solùm Curis Sæcularibus aut vitæ otiosæ ac molli intenti; hinc Catecheses sine præparatione & cum nausea, conciones tumultuariæ & sine fructu, Sacramentorum administrationes luridè, sine gravitate & ædificatione (utinam non etiam quandoque cum periculo nullitatis,) ægrorum & morientium visitationes ex tristi necessitate

nec niſi poſt binam aut ternam vocationem, fieri ſolent. Exinde provenit craſſa illa, in quibusdam Locis, Plebis Ignorantia circa ſcitu neceſſaria Principia fidei, & morum præcepta; inde diſciplinæ Chriſtianæ enervatio, & morum diſſolutio; & ſi inſuper, ùt quandoque Juſto Dei Judicio fit, ejusmodi Mercenarii in pœnam ſuæ tepiditatis in apertas noxas prolabi ſinantur; tunc oriuntur ſcandala, contemptus Eccleſiaſticorum, neglectus Sacramentorum, & tandem ingens morum corruptio. Sed dices: pauci ſunt, qui eò deveniunt, & hæc morum corruptio ex aliis fontibus, quàm ex Probabilismo oriri poteſt. Reſp. demus utrumque; ſaltem hoc fateri nos cogit triſtis Experientia, quòd in multorum animis adeò refriguerit Charitas, ut Studium virtutis & Chriſtianæ perfectionis paſſim negligatur, ut (cùm atteſtante æterna veritate Regnum Cælorum vim patiatur, & arcta ſit via ac anguſta porta, quæ ducit ad vitam) plurimi Fidelium præeuntibus non rarò ipſis Paſtoribus vitam commodam, remiſſam, ac tepidam ducant, ſat divites ſe cum Epiſcopo illo Apocalyptico exiſtimantes, ſi ſibi nullius *manifeſti* peccati mortalis aut transgreſſionis Legis omninò *certæ*, conſcii ſint; de cætero parùm curantes, quæ Exercitium virtutis, Zelum Religionis, fervorem devotionis, ac Studium Chriſtianæ

Per-

Perfectionis ſpectant; tanquam hæc & ſimilia, utpotè non *certò* & *manifeſtè præcepta*, tantùm *de Conſilio* eſſent. Et tamen talis vitæ tepidæ ratio, quæ Judiciô Dei abominabilis eſt (*quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*) juxtà Principia Probabilismi adhuc út tuta, & vitæ æternæ meritoria ſuſtineri debet; vel, an non pronum eſt cuivis homini tepido (& quot ſunt hujus generis?) ex Principiis Probabilismi nimis generici, & tot laudum præconiis celebrati, etiam luridiſſimam ac tepidiſſimam vitæ ſuæ rationem juſtificare, atque à periculo damnationis vindicare? de qua *ſuæ ſalutis ſecuritate* quamdiu ſibi perſuaſus quis eſt, tamdiu ne digitum quidem movebit pro aquirenda virtute, & ſtatûs ſui perfectione: imò è contrariò, ſi qui ſunt, qui Perfectioni ſtudent, qui honorem Dei & animarum ſalutem zelant, hos tepidi *út Singulariſtas*, *ſcrupulantes*, *fanaticos*, aut omninò út *Janſeniſtas* rident & calumniantur.

Hoc mihi certum eſt, quòd Probabilismus ita *generatim* & *ſine limitatione* propoſitus, Libertati humanæ nimiùm blandiri videatur, adeóque, ſi non *Radix*, ſaltem (ſpectandô humanam Naturam ad Libertatem Carnis per ſe jam ſat inclinatam) *occaſio* innumerorum abuſuum & corruptelarum, ac hominibus inconſtantibus & tepidis *Lapis offenſionis* & *Petra Scandali* dici mereatur.

Hæc ad effectum vindicandi Innocentiam Probabiliorismi. Agendum jam peculiari Paragrapho de Innocentia Probabilismi.

§. L.

Paucis acturi de Innocentia Probabilismi, dicimus: bonus est Probabilismus, & Innocens ejus usus, si non adhibeatur, nisi *urgente necessitate* vel *exigente causa gravi*, vel *suadente manifesta pœnitentis utilitate*. Hæc tria eidem conferunt Privilegium & gradum Probabilioritatis, ùt sæpiùs jam dictum. Econtrà Probabilismus bonus non videtur, nec ejus usus Innocens, quatenùs genio tantùm servit meræ Libertatis, & ultimatò in Laxismum degenerat. Et hic est hujus loci verus Status Quæstionis, in quo nullus habetur sermo de Rigoristis & Laxistis quoad Sententias & Praxes *particulares* talibus; potest enim acerrimus Probabilista subin doctrinas particulares tenere & docere, quin per hoc suæ professioni & Systemati generali deroget. Donatistæ, Novatiani, Flagellantes, Quackeriani, aliíque similes Rigoristæ in nonnullis extiterunt laxissimi, quin per hoc à Probabilistis ad communionem recipiantur. Sicut ex adverso ex Probabilistis non desunt, qui extrà articulum substantialem *de usu licito probabilium*, sententias tenuerunt, & docue-

runt

runt valdè rigidas. Sic P. Corella Probabiliſta debachatur in quodam loco contrà Sectatores opinionum indulgentiorum. P. Reiffenſtuel non in uno loco ſuſtinet Sententias perquam ſeveras, & alii ſimiliter; & tamen propterea invidioſum Rigoriſtarum nomen hæreditare non merentur; neque exinde arguitur, quòd Probabiliſtæ ex neceſſitate Syſtematis Probabiliſtici in Rigorismum prolabi cogantur. Nugæ hæc ſunt, quibus hominibus in Syſtemate parùm verſatis fumus fit, & ſubſtantia controverſiæ ne ſuperficie tenùs attingitur.

Innocentia Probabilismi, de quo hìc agitur, conſiſtere prætenditur 1. in ſua puritate intrinſeca, & immunitate ab omni periculo nocendi Reipublicæ Chriſtianæ 2. in numero & Auctoritate Doctorum eam ſuſtinentium. 3. in tolerantia Sedis Apoſtolicæ. 4. in defectu Legis prohibitivæ. Diſcutiamus pauliſper ſingula, initium ducendo à primo, de immunitate ab omni periculo nocendi moribus fidelium. Abſit, ut in examine hujus articuli corruptis utar aliorum lacunis, ex quibus Henricus à S. Ignatio cum ſuis commilitonibus ſua ad traducendum Probabilismum argumenta hauſit. Abſit, inquam, hoc, ſed ſepoſito partium ſtudio ex ductu practicæ experientiæ, & ex ipſa ſubſtantia rei argumentum expendere placet.

P. Gravina Dial. XXXVII. apud P. Biner in historia Probabilismi P. 10. cap. 20. art. 2. fol. 797. thesin, „ quòd *Probabilismus Germanissimus degenerare minimè possit in laxismum, „nisi probabilismus deseratur*, ita probat: „ge„nuinus Probabilismus, inquit, & laxis„mus involvunt contradictoria. Siquidem „ille est *vera*, *solida*, *practica*, & *certa* pro„babilitas, non autem iste. Ille nititur „fundamento *gravi* ac *solido*, non autem „iste. Ille non est contentus *probabilitate „quacunque tenui*, *incerta*, ac per oppositam „probabilitatem elisa, benè verò iste. Ille „proscribit opinionem, quæ est contrà cer„tam aliquam legem, certum principi„um, certam conventionem, legitimam „censuram, non autem iste. „Hæc in gros„so spectata Idæam germani Probabilismi, & germani Laxismi juxtà se positam exhibent. Verùm, ùt aliàs frequentiùs, ita etiam hoc loco dubia & indigesta certis immiscentur, quæ ad formandum verum statum quæstionis priùs secernenda sunt. Laxismus ergò Probabilismo contradictoriè oppositus juxtà mentem allegati Auctoris in eo consistit, si opinio aliqua contrà legem certam, contrà principium certum, contrà conventionem certam, aut contrà legitimam censuram, ex fundamento & probabilitate tantùm tenui sustinetur. Sed quis Catholicorum Doctorum unquam voluit, vel defendit nostris temporibus istum

sic

ſic propoſitum Laxismum? vel ſiqui eum defendiſſent, cùm fidem in Iſrael nullam jam inveniant, ceſſat de eis quæſtio. Propiùs ad rem acceditur ſi ſub alia diſtinctione proponatur. Alia enim eſt quæſtio in caſu, in quo de *ipſa exiſtentia legis* dubitatur; & iterùm alia, ſi exiſtentia legis eſt quidem certa, & ſolùm quæritur *de extenſione Legis ad caſus dubios.*

Sic ſiquis ex probabili ratione, aut probabili opinione, tempore Quadrageſimæ non jejunat; ſi Sacerdos horas Canonicas non dicit; ſi Poſſeſſor rei alienæ non reſtituit &c. iſti omnes non obſervant *Legem* jejunii, dicendi horas Canonicas, & reſtituendi alienum, *certam*; quia præcepta Decalogi, & Eccleſiæ ſemper ſunt certa; ergò nixi opinione excuſante tantùm probabili, probabiliùs agunt contrà *legem certam.* Unde fit, ut totus ille Verborum apparatus ad rem nihil ſerviat; cùm totius Probabilismi germaniſſimi Eſſentia in his paucis conſiſtat: *quòd liceat ſequi Sententias nixas ratione, vel fundamento etiam comparativè gravi.* Quando enim alicui doctrinæ cenſura legitima, conventio, principium, aut lex *certa* adverſatur, omnis gravitas fundamenti comparativè talis evacuatur, & ceſſat. Hinc ſubſtantia, & ipſa anima Probabilismi germaniſſimi conſiſtit in *fundamento ita gravi*, ut illud in conſpectu contrariorum vires ſuas, & rationem probandi retineat; ſi-

ſicut pondus unius libræ retinet ſuam gravitatem, etſi alteri ponderi ſex librarum opponatur. Igitur quæcunque opinio fundamento gravi innititur, directè probabilis & in Syſtemate Probabiliſtarum etiam practicè tuta eſt, exceptîs caſibûs de Medico, de Judice, de Miniſtro Sacramentorum, & de neceſſariis neceſſitate medii. Extrà autem hos caſus opinio gravi ratione nixa, eſt verè probabilis, & practicè tuta. Atque in hoc conſiſtit Probabilismus germaniſſimus, cujus innocentiam, & utilitatem nonnulli adeò extollunt, ut de innocentia Probabiliorismi, ni ea vindicaretur, actum videri poſſit. In ordine jam ad exponendam exactiori determinationi & Judicio peritorum theſin ſuprà poſitam, ſequentia hîc ſubjiciuntur dubia. Dubium primum: utrùm extrà urgentem neceſſitatem & cauſam manifeſtæ utilitatis, in praxi licitum ſit ac tutum ſequi quamcunque opinionem nixam gravi ratione, adeóque verè probabilem, etiamſi oppoſita Sententia ex communi Auctorum Suffragio ſit probabilior, & magis tuta? Ratio dubitandi de hac quæſtione abundè patet ex deductis hactenùs.

Auctor libelli: *Quæſtio facti inſcripti*, Ingolſtadii 6. Julii 1758. approbati fol. 114. inter alia contendit: nec unam de propoſitionibus damnatis ex genuino Probabilismo profluxiſſe, eoquòd ex illo nihil aliud profluxerit; *niſi Sententia illa* REFLE-

XA, nempè licitum esse sequi opinionem practicè probabilem faventem libertati in conspectu æquè probabilis, vel etiam probabilioris faventis legi. Alia omnia *Probabilismo extranea* sunt. Ita est, ùt suprà jam dictum est, etiam à Probabiliorismo extranea sunt, si quidam extrà illum opiniones admiserint laxas, vel omninò ad Jansenismum deflexerint. Quandò autem idem Auctor fol. 115. cum P. Nocetio concludit: Probabilismum nullam habere cognationem cum Sententiis directis, quas adversarii laxas appellant; id solummodò verum est directè loquendò, non autem verum est, spectatis ejusdem principiis reflexis, utpote quibûs omnes Sententiæ, & opiniones ad communionem practicam admittuntur, quæ signum veræ probabilitatis in frontibus expressum gerunt, & de fundamento gravis rationis se legitimare valent. Id quod tamen in Republica probabiliorismi locum non habet, utpotè in qua nullæ opiniones ad usum practicum admittuntur, nisi ex Cancellaria communi Theologorum testimonium majoris probabilitatis ostenderint, & ùt tales per majora Doctorum suffragia approbatæ fuerint. Hinc est, quòd opiniones probabiles directæ cum Probabilismo reflexo maximam habeant cognationem; quia usus illarum legitimus ab œconomia Probabilismi politica maximè, imò unicè dependet. Aliud quippè est, quòd teste Auctore de quæstione facti Antiprobabilistæ Medinâ antiquiores & recentiores, damnatas per Pontifices propositiones docuerint, & eædem fors ipsis visæ tunc fuerint probabiliores; quia tamen per hos paucos assertores factæ haud fuerunt communiores, & nunquam communi judicio receptæ ùt probabiliores, ideo per Principia reflexa generalia Probabiliorismi manebant à commercio usûs, & licentiæ practicæ exclusæ.

At aliud eſt, quòd per principia reflexa, & per leges Syſtematis probabiliſtici omnibus opinionibus etiam minùs probabilibus aditus & janua ad praxin liberam aperiatur.

§. LI.

Secundum dubium de innocentia Probabilismi in ea reponitur quæſtione maximè practica: *an licitum ſit ſequi ſententiam, quæ probabiliter eſt tantùm probabilis.* Recentiores Probabiliſtæ cum Cl. Recenſore P. Gravinæ loc. alleg. prætendunt probabilitatem *certam*, ita ut opinio practicè probabilis nitatur *fundamento certò gravi.* P. Wagemann P. 1. tr. 3. c. 3. n. 4. dicit: Licitum eſſe amplecti omnem, & ſolam ſententiam *graviter* probabilem agentem de ſola actionis licentia. Sed Recentiorum, vel etiam nonnullorum ex antiquis major reſtrictio, & cautela nihil impedit, quominùs in Principiis Probabiliſtarum aſſeratur, abſolutè licitum eſſe ſequi *Sententias probabiliter tantùm probabiles.* In probationem aſſerti audiatur P. Lacroix P. 1. n. 368., ubi ad iſtam quæſtionem ſic reſpondet: negant Teril. Lumb. & Fil. apud Carden. in 2. Criſi D. 4. c. 2. & alii „quia talis opinio videtur eſſe tan„tùm tenuiter vel dubiè probabilis: è con„trà affirmant Tambur. Ilſung. Banholzer, „Arsdekin; quia dicere, eſſe probabiliter „probabilem, idem eſt, ac dicere, quòd „omnibus expenſis poſſit prudenter judica-

ri

„ri pro ea esse *gravem rationem*, & conse-
„quenter, quòd pro ejus veritate sit *grave*
„*motivum*, *adeoque vix discrimen erit inter opi-*
„*nionem certò & probabiliter tantùm probabilem.*
„Ubi, post allata exempla ita pergit: ra-
„tionem à priori dant, quia ubi opinio est
„probabiliter probabilis, æquè potest for-
„mari *dictamen ultimum certum*, atque ubi est
„certò probabilis; potest enim dubium
„*prudenter* deponi *propter rationem probabilem*,
„sicque iudicare potero probabile esse,
„quòd opinio illa sit probabilis, ergò non
„ampliùs dubitabo de probabilitate illius
„opinionis..... Addunt rationem à poste-
„riori; quia, si teneremur semper exami-
„nare, an opiniones directæ, quas sequi-
„mur, essent certò probabiles, inducere-
„mur in infinitos Scrupulos. Hæc Sen-
„tentia est probabilis. In quæstione ta-
„men de nomine malo absolutè dicere opi-
„nionem, quam sequimur, debere esse
„certò probabilem, ne quis se periculo
„exponat formandi conscientiam secundùm
„opinionem tenuiter, vel dubiè probabi-
„lem. Ita Lacroix:

P. Cardenas dissert. 4. cap. 3. & 4. omni genere argumentorum refellit opinionem Lumbier, & Filgueiræ negativam, & affirmativam iisdem prorsùs argumentis, quibus usus opinionis certò probabilis probatur, ad magnum probabilitatis gradum eve-

evehit, ut perpensis ejusdem rationibus & auctoritate aliàs adducta, de ejus vera probabilitate nullum relinquatur dubium; nam qui allatam à P. Lacroix, & P. Cardena quæstionem ex instituto tractatam exactè perpenderit, eidem certa probabilitate constabit, licitum esse sequi opiniones probabiliter tantùm probabiles; quia ex una parte rationes à Lumbier & Filgueira in contrarium allatas per contraria argumenta planè enervatas, & ex altera parte affimativam Sententiam fundamentîs à priori & posteriori gravibûs fulcitam esse deprehendet. Et quamvis P. Viva in Trutina Thesium damnatarum in proposit. 3. ab Innoc. XI. damnat. multa in contrarium moveat; procul tamen abest, ut per ejus argumenta prior opinio à sua probabilitate, collatîs utrinque rationibûs, dejiciatur. Sed quidquid de hoc sit; licèt fortè quibusdam, Theologiæ Studium ex professo tractantibus, quædam dubitatio de probabilitate hujus Doctrinæ suboriri possit; juxtà principia tamen Probabilismi semper licitum ac tutum erit sequi hanc Doctrinam, seu Sententias *probabiliter tantùm probabiles*. Id quod demonstro. Imprimis juxtà Principia Probabilismi tam Litteratis, quàm Illitteratis plus oneris imponi nequit; quàm ut Litterati in dubiis consulant unum alterùmve Auctorem Moralistam, cujus Sententias verè probabiles tutò sequi possunt;

Illi-

Illiterati autem consulant Litteratos v. gr. Parochum, Confessarium, aut alium virum Doctum, juxtà quorum dein responsa tutò & licitè procedere possunt. Jam sic. Si Parochus aut quivis alius Confessarius de Licentia sequendi *opiniones probabiliter probabiles* legerit P. Lacroix & citatum ab eo P. Cardenam; si insuper eorum gravia hac super re argumenta perpenderit, certò certiùs eorum Sententia illi apparebit verè probabilis; consequenter etiam hanc Sententiam Parocho vel Confessario licebit sequi, & pœnitentibus ac consulentibus sequendam proponere; ergo juxtà Principia Probabilismi licebit sequi *Sententias probabiliter tantùm probabiles.* Id quod erat demonstrandum. Verbô nulla convincente Auctoritate, nulla convincente ratione constat, vel hucusque probatum fuit, quòd Sententia de licentia sequendi opiniones probabiliter probabiles, non verè ac certò probabilis sit; consequenter usus illius in praxi manet in Systemate Probabilistico maximè tutus & licitus.

Imprimis igitur Thesis hæc: *Licet sequi opinionem probabiliter probabilem*, nititur gravi Auctoritate, & gravibus rationibus, ita, ut ferè censenda sit unicè probabilis; quia eidem non refragantur nisi pauci Auctores, & quidem ex rationibus minimè convincentibus. Potissima earum est, nequis periculo se exponat incidendi in tenuiter probabiles; sed quia, ùt P. Cardenas benè advertit, per probabi-

le id intelligitur, quod nititur gravi ratione; ideò, cùm memorata theſis gravi ratione & Auctoritate nitatur, dictum periculum incidendi in tenuiter probabiles hìc locum non habet. Quod autem rei caput eſt; ſi per opinionem probabiliter probabilem intelligatur illa, quæ à gravibus Theologis, à Viris Doctis & piis defenditur ùt verè & practicè probabilis (licèt ab aliis Doctoribus negetur eſſe talis) in Syſtemate Probabiliſtico jus probabilitatis verè practicæ, ſalvâ œconomiâ totius Probabilismi, denegari non poteſt; utpote cùm ipſe uſus Probabilismi *ùt practicè licitus ac tutus*, ſit tantùm probabiliter probabilis; quia omnes Antiprobabiliſtæ viri Religioſi, pii, ac docti diffitentur, negant, & pernegant uſum Probabilismi eſſe practicè licitum. Et ſic plurimæ Sententiæ directæ & ſpeculativæ ita tantùm ſunt practicè probabiles, ut ipſa hæc probabilitas practica exiſtat tantùm probabilis, quia ab aliis negatur certitudo *Probabilitatis ùt practicæ* tam directa, quàm reflexa. A primò ergò ad ultimum ex hactenus deductis ita concludi poteſt: vel Sententia probabiliter probabilis eſt verè probabilis juxtà Principia Probabilismi; vel ſi non eſt, neque ipſe Probabilismus *ùt practicus* erit ampliùs verè probabilis.

§. LII.

Prioribus ſuccedit tertium dubium: utrum licitum ſit operari ſecundùm opinionem, quam tamen operans judicat re ipſa eſſe falſam? Hanc quæſtionem pro re nata ſolidè diſcuſſit P. Lacroix l. 1. de conſcientia à n. 375. ubi in ſumma ita ad eam reſpondet. „ Certum eſt, non licere, ſi judi-

„judicet opinionem aliorum ita esse *falsam*, „ut propterea etiam censeat objectum ejus „hìc & nunc sibi esse illicitum poni; talis „enim non operaretur ex fide, sed con„trà conscientiam.

„Etiam non licet, si judicium, quod ha„bet de falsitate, sit *absolutum & ultimum*, „ita ut velit procedere ex solo *judicio alieno*, „*non formatâ sibi suâ conscientiâ*. Neque tum „licet, si opinionem illam judicet esse ita „falsam, ut non censeat esse verè & cer„tò probabilem; ideoque correptione di„gnus est Machado, inquit Carden in 1. „Crisi D. 56. n. 1169. dicens, id etiam „tum licere, pro quo etiam falsò citat „multos Auctores. Et de his casibus in„telligendi sunt Sanch. in Decal. l. 1. c 9. „n. 19. & 42. Castrop. D. 2. pu. 2. n. 4. „Vasq. D. 62. c. 3. Bardi Disc. 4. c. 16. „Teril. hìc q. 30 quando dicunt, non esse „licitum sequi opinionem, quam operans „putat esse falsam.

„Si quis judicet opinionem alienam es„se probabilem, quamvis videatur esse fal„sa, ideoque spectatis Principiis directis „usus illius videatur esse illicitus; si tamen „de hoc certus non sit, *valde probabile est*, „quód ex principiis reflexis possit sibi for„mare prudens dictamen, & secundùm „eam opinionem operari, dicendo: judico „quidem opinionem illorum esse falsam, „quia tamen hoc mihi incertum est, &

„Auctores me ſapientiores, qui opinionem
„poſſunt reddere certò probabilem, dicunt
„illam eſſe veram, ego quoad hanc ope-
„rationem me accommodabo illis, & inte-
„reà præſcindam à directa opinione mea.
„Ita abſolutè tenent Azor, Vaſq. Leſſ.
„Valent. Salas. Bonac. Sot. Bann. Serrar.
„Bardi, Tann. Sanch. n. 14. Teril. in Reg.
„q. 22. q. 35. à n. 12. clariſſimè q. 46.
„n. 6. aliique plurimi & graviſſimi Aucto-
„res cum Ills. T. 1. D. 1. a 6. §. 5. &
„Mendo in Stat. D. 13. q. 15. eſt autem
„contrà Schild. Tr. 2. n. 25. Eliz. L. 1.
„Q. 17. & L. 3. q. 12. & 13. Eſparz. in
„app. a. 143. Ehrentr. a. 3. Camargo p. 1.
„L. 1. Cont. 8 à n. 56. Ratio noſtra eſt,
„quia nulla Lex prohibet mihi operа-
„tionem, quam judico eſſe probabiliter
„bonam; ſed operationem illam judico
„eſſe probabiliter bonam; quia ſcio illam
„à viris gravibus doceri eſſe abſolutè bo-
„nam, quorum ego opinionem judico eſ-
„ſe abſolutè probabilem, ergò nulla lex
„eam mihi prohibet, ergò mihi eſt licita.
„Conf. 1. nam ità paſſim legimus apud
„graviſſimos Auctores, qui quamvis te-
„neant unam partem tanquam abſolutè
„veram (qui conſequenter dicunt oppoſi-
„tam eſſe falſam) tamen ſæpè expreſſè
„addunt oppoſitam eſſe etiam probabilem
„& in praxi tutam. Conf. 2. quia fieri
„poteſt, ut aliorum opinio, quam dire-

„etè judico falsam, reipsa sit probabilior „& communior quàm mea; ergò non est „cur illam sequi non possim, suspensâ vel „non attentâ tantisper meâ. Conf. 3. Nam „sæpe debemus seponere opiniones no„stras, & nos in operando accommodare „alienæ v. gr. Superiorum, uti dicetur „à n. 432. item pœnitentium, uti etiam „dicetur à n. 443. quamvis istas illorum „opiniones judicemus reipsa esse falsas. „*Similiter prudentis est, non nimiùm stare ju*„*dicio proprio*; sic enim etiam Principes sa„pientissimi cedunt judicio Consiliariorum „contrà proprium &c.

„Reponit Camargo suprà, non posse „formari judicium reflexum, quòd v. gr. „Contractus sit licitus, si adsit, vel adesse „possit judicium directum, quòd sit illici„tus. Sed oppositum constat ex dictis à „n. 313. & constabit iterùm ex statim di„cendis; nam licèt ego judicem esse illici„tum, hoc judico cum incertitudine ac „tantùm velut probabilius, sciens alios, „quos censeo sapientiores quàm me, ju„dicare tanquam probabilius, quòd sit li„citus; cur ergo non possim sequi illorum „judicium? *nisi fortè velim solus sapere.* Re„etè dicit S. Greg. Naz. Orat. 26. Nemo „sapientior sit, quàm conveniat, nec le„ge exactior, nec luce splendidior, nec nor„má rectior, nec præcepto divino sublimior. „Verbô, ubi Deus legem non poluit, nec

„nos ponamus. Vide dicta n. 352. in fine.
„Dixi, valdè probabile esse; nam non est
„opus hoc defendere, sed satis est dicere,
„quòd liceat sequi opinionem, de cujus
„probabilitate scitur, & de cujus falsitate
„absolutè ferri non potest judicium, quod
„rarò etiam fieri potest, uti fatetur Espar.
„à 152.

Hactenùs Lacroix & citati ab eo Auctores.

Ex quibus tantorum virorum Auctoritate & rationibus iste quoque operandi Canon constituitur in certo Probabilitatis gradu, & juxta Principia Probabilismi non potest à ratione Regulæ moralis & practicè tutæ excludi. Patet insuper, quód aliorum opinio, quam judico esse falsam, possit esse communior & probabilior, idquod meo judicio intelligendum est de hominibus doctis quidem, sed non Theologis, qui in dubiis suis moralibus unum vel alterum, quem fortè possident, Auctorem Moralistam evolvunt, in quo si opinio ab aliquibus defensa inveniatur, licèt consulenti fors falsa videatur, relicto tamen proprio judicio judicari poterit probabilis; quia in collatione omnium de ea scribentium poterit esse communior & probabilior.

Deinde Auctor n. 378. benè concludit, ad hanc (de licentia sequendi opinionem alienam) Regulam satis esse *dicere*, quòd

ea opinio ſit probabilis, quin opus ſit iſtud *defendere*; nimirum ſatis eſſe dicere, quòd liceat ſequi opinionem, de cujus probabilitate ſcitur, & de cujus falſitate neſcitur, ſeu de qua nullum abſolutè poteſt ferri judicium, id quod rarò fieri poſſit, fatente ipſo Eſparza adverſario.

Pithanophilus fol. 135. ex ſuis definitionibus & Scholiis hoc demum ſtatuit corollarium: Hinc *probabilitas* argumentis non poteſt deſtrui niſi *certis*, *certitudo* etiam poteſt argumentis probabilibus. Unde qui vult impugnare *probabilitatem*, intellige poſitivè, debet principia *certa* adhibere; qui verò *certitudinem*, ſatis eſt, ut afferat principia tantùm *probabilia*. Ex quo Pithanophili Principio hæc eruitur concluſio: ſi de falſitate alicujus opinionis non *certò* conſtat, tunc eſt *verè probabilis*; ſicut è contrario ſi de falſitate alicujus opinionis tantùm *probabiliter* conſtat, tunc ceſſat eſſe *certa*, & manet *tantùm probabilis*; quia *probabilitas* non deſtruitur, niſi *certitudine oppoſita*; *certitudo* autem deſtrui poteſt ſola *probabilitate oppoſita*, ùt dicit Pithanoph.

Quartum dubium hoc eſt: an & quando unus vel pauci Auctores faciant (ſalva propoſit. 27. ab Alex. VII. damnatâ) Sententiam aliquam verè probabilem? ad quod dubium P. Dominicus Viva in Trutina ad

cit. theſin n. 6. poſt alia ita reſolvit: „ In „eo duntaxat caſu admitti poteſt ùt pro- „babilis non ſolùm plurium, ſed etiam „unius Auctoris opinio, etiamſi adverſus „communem aliorum ſentiat, quoties *Au- „ctor eſt omni exceptione major*; cùm enim „Auctores relatè ad imperitos, qui non „valent momenta rationum perpendere, „ſint veluti *teſtes veritatis*; ſicut unus teſtis „poteſt eſſe aliquando ſufficiens ad aliquid „ſuadendum, quandò eſt omni exceptio- „ne major, adeò ut ejus auctoritas pluris „fiat, quàm multorum tenuis auctoritatis „ac dubiæ fidei in oppoſitum; ita poterit „unus Auctor omni exceptione major red- „dere opinionem aliquam probabilem, „etiamſi adverſùs illam plures tenuioris „Auctoritatis ſentiant. Is autem dicitur „Auctor omni exceptione major, qui ſit „*valdè peritus* tùm Juris naturalis, tùm et- „iam poſitivi; qui firmis, ac validis ratio- „nibus conſueverit concluſiones ſuas fun- „dare; *qui veritatis potiùs, quàm novitatis „cenſeatur amator*; ac demum qui aliorum „fundamenta plenè diſcuſſerit, & dejece- „rit; adeò ut prudenter credi poſſit alios „etiam doctiſſimos eidem opinioni ſub- „ſcripturos.

Accedit quintum dubium: utrùm ali- quis poſſit conſulere plures Viros Doctos, donec inveniat aliquem, qui ab obligatio- ne reſtituendi, vel jejunandi (& ſic de re- liquis)

liquis) ipſum excuſet ? affirmativam Sententiam laudatus Viva ex priori concluſione n. 7. ita deducit : „ Hinc fit, poſſe ali„quem conſulere plures Viros Doctos, do„nec inveniat aliquem, qui ab obligatio„ne v. gr. reſtituendi, vel jejunandi illum „excuſet ; ùt docet Sanch L. 1. cap. 9. „Paulus Zumel, & alii non pauci apud „Machao T. 1. Diſc. pract. art. 7. Ratio „eſt ; quia *unicuique licitum eſt ſuo jure uti*, „*& per licitum, & honeſtum medium deobliga„ri, quale eſt varios Doctores conſulere ad favo„rabilem opinionem inveniendam.* Id tamen „ita præſtandum, ut Auctoritas Doctoris „faventis libertati. tanti ponderis ſit, quan„ti debet eſſe Auctoritas unius Auctoris, „ut poſſit reddere opinionem probabilem „adverſùs communem aliorum opinionem; „proinde debent voce, aut ſcripto alio„rum Auctoritates, rationes, ac funda„menta ei referri, ſi ignorentur, ut ſcitè „refellantur ; aliter coràm Deo excuſatio „erit nulla. Ubi advertit Bardi D. 4. de „conſc. c. 4. quod in rebus ad Theologi„am moralem ſpectantibus non ſatis ſit con„ſulere Theologum Scholaſticum magnæ „Auctoritatis, ſi in morali Theologia, ùt „accidit non rarò, ſit parùm verſatus ; „plurimi enim pollent ingenio, non tamen „judicio prudentiali ; & ideò in Scholaſti„ca eminent, in morali claudicant. Spe„ctanda etiam eſt in Doctore, qui conſu-

„litur, non ſecùs, ac in Auctore, qui evol-
„vitur, Probitas, quippe quæ plurimùm
„conducit ad opinionis, quam docet,
„probabilitatem.

Ultrà hos Aphorismos in memoria, & ante oculos perpetuò tenendum eſt, quòd vix centeſima pars etiam Litteratorum in Studio Theologiæ moralis ſit ita verſata, ut inſpectîs omnium aut ferè omnium, de morali Scribentium, Sententiîs, earùmque rationibûs ultró citròque pro dignitatis merito libratîs, de vera probabilitate intrinſeca judicare poſſit. Unde ſequi debet, quòd ſi univerſa hominum, etiam litteratorum multitudo (ſolis Theologiæ moralis Magiſtris & admodùm paucis aliis exceptis) ſectetur tam principia generalia quàm Sententias particulares probabiles (quatenus tam illa, quàm iſtas in Auctoribus magis obviis, & magis comparabilibus ùt probabiles deductas invenerit) licitè, & ſecundùm ordinem in diſciplina probabiliſtica permiſſum ac tutum, procedat; quia ſemper pro ſe habet gravem rationem, & gravem auctoritatem, adeòque prudenter & licitè agit. His ita prælibatis via ſternitur ad expediendam Quæſtionem de Innocentia Probabilismi. *Ubi* in anteceſſum concedo; quòd *Probabilismus intrinſecè & in ſe ſpectatus* cum Sententiis laxis vel laxioribus, objectivis & directis, nullam habeat connexionem Societatis

tis

tis individuæ. Neque diffiteor, quòd *Probabilismus*, & *Laxismus* neceſſitate cognationis intrinſeca, ab uno eodémque communi ſtipite & parentela deſcendere haud debeant; eoquòd Probabilismi, ſeu Sententiæ reflexæ de licito uſu minùs probabilium etiam acerrimus Sectator, *in praxi* ſententias ſatis rigidas, & probabiliores ſibi viſas, tenere, & aliis tenendas ſuadere poſſit; ſicut è contrario etiam Zeloſiſſimus Probabiliorismi Æmulator poſſet cæteroquin ſententias directas tenere, & actiones exercere extremè laxas. Cujus rei experientiæ nullatenus repugno.

Sed hoc jam quæritur: utrùm Probabilismus talia ſtabilire, & in conſequentiam doctrinæ admittere poſſit, ac debeat principia, per quæ opinionibus laxis & laxioribus porta ad liberum praxis commercium aperitur? Nulla ferè in Theologia morum eſt materia, nullus in materia titulus, nulla in titulo quæſtio, circà quam in tanta multitudine Scriptorum non occurrant Sententiæ certò laxiores, & in praxi ordinariâ minimè tolerandæ. De ejusmodi Doctrinis æquus rerum æſtimator meritò anceps hæret: an non homines ad liberius agendi genus proclives, ex Theſauro Probabilismi titulos corolatos, & clypeos excuſationum ad excuſanda peccata depromere valeant, quibûs operâ ſua, de ſe admodùm ambigua & periculoſa, ſub prætextu Probabilitatis

& ad ſpeciem Recti juſtificent, ſicque non ſine culpa in Probabilismum rejicienda decipiantur. Ad majorem rei illuſtrationem juvat potiores Probabilismi Canones ſub uno conſpectu exhibere.

I. Canon. Fundamentum & baſis de licito & tuto uſu opinionis probabilis eſt *ratio certò gravis*; ita ut quæcunque Sententia, quæ gravi ratione non deſtituitur, eo ipſo reputetur practicè probabilis, & ejus uſus prudens.

Hic Canon, ſeu Regula in iis, ubi agitur de mera licentia actionis, nulli videtur ambiguitati obnoxia; opinionem enim niti ratione *verè gravi*, & eam eſſe *verè probabilem* ſunt convertibilia. Quænam autem ratio cenſenda ſit *veré gravis*, & quænam non, ſeu quantum ponderis ad rationem verè gravem requiratur, ultimatò dependet ab æſtimatione prudentûm; quia certa quantitas ponderis nullibi definita eſt.

II. Canon. Probabilitas non deſtruitur niſi per certitudinem, & quoties certitudo probabilitati oppoſita, ex gravi ratione in dubium vocatur, ut adeo de ipſa prætenſa certitudine tantùm probabiliter conſtet; toties *probabilitas* oppoſita manet *verè probabilis*. Sicut enim certitudo vera & indubia probabilitatem adverſam certò deſtruere & abſorbere omninò debet; ita certitudo non genuina, & à nonnullis non ſine gravi ratione in dubium vocata, probabi-

litatem obverſam tantùm probabiliter deſtruit; adeoque *iſta gravis ratio*, ex qua certitudo dubia redditur, efficit oppoſitam Sententiam ad minimum *probabiliter probabilem.*

Neque hic Canon ritè expenſus, dubio ſubjectus appareret; quoties enim magna, aut etiam major pars Scriptorum aliquam Sententiam defendit *ùt certam*, alii autem Magni Nominis Doctores ex ratione gravi negant ejusdem certitudinem, ùt paſſim fit, tunc de prætenſa certitudine conſtat ſolùm probabiliter, vel probabiliùs; ſed ipſa hæc probabilitas, vel probabilioritas ſupponit, & ex Regulis contrarietatis infert ex adverſo veram probabilitatem de probabilitate oppoſitæ, quia probabilitas abſolutè non deſtruitur, niſi per certitudinem omnimodam; ad hoc ſiquidem, ut certitudo deſtruatur, & elidatur, ſufficiunt *principia*, & *rationes probabiles.* Ut quoad hoc benè concludit Pithanophilus fol. cit. 135.

III. Canon. Si de probabilitate alicujus opinionis conſtat; & de certitudine oppoſitæ opinionis non conſtat; tunc probabilitas manet in ſua poſſeſſione, ex qua dejici haud valet, niſi per certitudinem veram, ſeu talem, de qua omnimodè conſtat. Probabilitas enim certa per certitudinem incertam non enervatur; ùt iterùm ex regulis oppoſitionum indubium eſt.

Hæc Regula nititur principio ſuprà ex P. Lacroix n. 378. inſinuato, *non eſt opus hoc defendere, ſed*

ſatis eſt dicere, quòd liceat ſequi opinionem, de cujus probabilitate ſcitur, & de cujus falſitate judicium abſolutè ferri non poteſt.

IV. Canon. Licitum eſt ſequi, & operari ſecundùm opinionem, quam alii judicant probabilem, licèt operanti videatur falſa.

Hic Canon nititur Ratiociniis certò gravibus, adeoque de cujus vera probabilitate nullum remanet dubium. Prima ratio eſt gravis Auctoritas ſuprà adducta. Secunda eſt inſtantia ſubditi reſpectu Superioris, qui hujus mandatis obedire eouſque tenetur, donec ei de injuſtitia conſtet. Tertia eſt præſumptio de falſitate judicii proprii, quia præſumere poſſum, quòd alii rem ex inſtituto examinantes, momenta rationum profundiùs & exactiùs perpenderint; hinc gravis non deficit ratio, relicta propria opinione de falſitate, amplectendi alienam de vera probabilitate; communis enim admittit, quòd Confeſſarius poſſit, ac debeat ſequi opinionem pœnitentis ab aliis admiſſam ùt probabilem: ratio eſt, quia ex auctoritate aliquam opinionem tuentium conſtat & ſcitur de probabilitate, & de falſitate illius necdum certò conſtat; adeoque probabilitas ab aliis aſſerta manet in ſua poſſeſſione; quia de abſoluta veritate rationum in contrarium certò non conſtat, nec prudentis eſt rationibus proprii judicii de falſitate, confidere.

V. Canon. Poteſt aliquis plures pro conſilio adire viros Doctos, pios, & religioſos, vel plures evolvere Auctorum libros, donec inveniat aliquem ſuæ intentioni

& propoſito faventem ; quia hoc faciendo quis utitur jure ſuo. Supponitur ſemper , quòd quis fide non mala procedat. Accedit

VI. Canon. Auctor unus , vel pauci omni exceptione majores faciunt opinionem etiam contrà communem aliorum verè probabilem; quia ſupponitur eos ad ejus defenſionem motos non eſſe, *niſi ex grævi ratione.* Et quinam Doctores , qui Theologiam morum ex profeſſo tractarunt, non ſunt omni exceptione majores?

Nulla datur lex, vel obligatio in hominibus etiam litteratis, qui Studio Theologico non ſunt conſecrati , diſcernendi & judicandi inter Auctores , qui ſint , vel non ſint omni exceptione majores. Et ſi etiam ſupponeretur hæc lex; ubi eſt certa Regula eos ſine præjudicio honoris cuivis debiti diſcernendi? Demum. quamdiu non eſt certum, illum Theologum, apud quem Sententiam libertati faventem reperio , reverà non eſſe Claſſicum , pium , religioſum , & omni exceptione majorem ; tamdiu præſumitur eſſe pius , religioſus , doctus , adeoque etiam omni exceptione major. Accedit, quòd, licèt Auctor aliquis plures tradiderit theles poſteà damnatas , id tamen ejus Auctoritati non detrahat. Cardenas fol. 36. n. 247. 249. 255. & ſequent.

Iſtis ſic præmiſſis, quamvis aliqui Catalogum propoſitionum magis laxarum ad ſesqui mille aſcendere autument ; ſupponamus tamen eas in numero rotundo ſexcentas eſſe ,

se, quæ in libris magis Vulgaribus occurrunt; vel ex collectionibus Dianæ, aliorúmque Theologorum facili negotio congeri possunt. Jam inter sexcentas propositiones magis laxas & integritati morum parùm proficuas, paucæ erunt, quas exercitatus Probabilista mediô præmissorum Canonum ad probabilitatis gradum, & ad exercitium usûs liciti sua dexteritate & industria evehere, & ita excolere non noverit, ut Confessarii, qui opiniones pœnitentium probabiles sequi tenentur, talem de peccato difficulter arguere poterint; quia talis semper obtendere & dicere potest: usus sum principiis Probabilisticis, & si deceptus fui, doctrina publicè tolerata me decepit.

Responsio, quæ his opponitur, maximè in promptu hæc est, quòd opiniones sexcentæ laxiores pleræque omnes nitantur rationibus apparenter, non autem verè gravibus, adeòque vera semper careant probabilitate: Sed sciendum est, quód fortè etiam dimidia pars opinionum *probabiliorum* vel *verè probabilium* oppositarum, rationibus nitantur solùm apparenter probabilibus; cùm fortè dimidia earum pars in se possit esse falsa. Hinc nulla potest esse quæstio, de subsistentia & veritate rationum objectiva, sed solùm de subjectiva & de apparente quoad intellectum operantium, & in hoc totum residet Probabilis-

mi fundamentum, quòd falſa ſæpe *appareant* veriſimiliora veris. Adeòque totum commercium rationum, in Regno probabilismi, in fundamentis *apparenter* tantùm probabilibus, & probabilioribus conſiſtit; cùm de certa veritate nuſpiam conſtet; quandoquidem in caſibus de veritate certa jam verſamur extrà ditionem Probabilismi. Opinio viſa verior, probabilior, & probabilis poteſt eſſe à parte rei falſa; adeoque, donec per manifeſtationem veritatis certæ probabilitas evacuetur, verſamur in ænigmate meræ probabilitatis apparentis. Si ergò ſententia ſingularis, quam aliquis ex rationibus ab aliis deductis, & inſuper proprio marte magis excultis ad gradum probabilitatis ſibi viſæ promovit, alicui videtur & perſuadetur *verè probabilis*; tunc tali de probabilitate conſtat, & de certitudine contraria non conſtat: quid igitur obſtat, quo minùs inhærendo principiis Probabiliſticis ſecundùm ejusmodi opinionem operando tutò procedat? In tota gente Sententiarum laxarum nulla eſt ſine Patrono & defenſore, neque ulla vix erit adeò ſterilis, quæ per ſedulam culturam novas rationes inveniendô, inventas excolendô, & contrarias debilitandô, vel diſſipandô ita evehi non poſſit, ut ſuis cultoribus probetur verè probabilis; & ſi illi ſunt, vel præſumuntur eſſe graves, pii, & Religioſi,

tunc

tunc alii quoque, eorum Auctoritate nixi, eas ſequi permittuntur; & ſic doctrinis laxis, & laxioribus introitus ad exercitium publicum non erit præcluſus.

§. LIII.

Expediuntur reliquæ tres rationes ſuprà pro Innocentia Probabilismi adductæ.

Secunda ratio, qua innocentia Probabilismi ſuſtentatur, conſiſtit in numero & Auctoritate virorum, qui eidem ſuffragantur. Magnam eſſe Probabiliſtarum gentem nemo diffitetur. Juſtum & innocentem eſſe opinionum directè & in ſe minùs probabilium uſum, quem in caſibus particularibus *urgens neceſſitas* vel cauſa *manifeſtæ utilitatis* ab extrinſeco ſuperveniens licitum facit, iterùm libenter conceditur. Quòd autem Probabilismus illimitatus & nimis generícus (quatenùs ſervit pro meræ Libertatis exercitio ſeligendi & ſequendi quascunque opiniones verè & merè probabiles, relictîs probabilioribus & tutioribus) ob Auctoritatem ſuorum Sectatorum de omni culpæ ſuſpicione gloriari poſſit, negatur, tum ob Authoritatem Probabilioriſtarum oppoſitam, tum ob Probabiliſtarum timoratiorum Praxin contrariam. Hinc ante ulteriorem Probabiliſtarum Declaratio-

tionem prætenſa Auctoritas, ad tuendam Probabilismi Innocentiam, vim tantam non habet.

Tertia ratio, ex tolerantia Sedis Apoſtolicæ petita, & ad probandam Probabilismi Innocentiam adducta, non eſt adeò convincens. Plurimæ ſunt propoſitiones, quas Summa Sedes jam damnavit, quæ tamen jam ante confixionem erant temerariæ, ſcandaloſæ, & pernicioſæ in praxi, quin per antecedentem tolerantiam dici potuerint innocentes, & tutæ. Sexcentæ, & amplius adhuc circumferuntur propoſitiones laxæ, quin tamen ex hactenùs obſervata conniventia vel taciturnitate Sumæ Sedis aliquid ſubſidii ad uſum earum tutum acceſſerit. Eccleſia multa tolerat, quin propterea exinde argumentum approbationis duci valeat. Dein Eccleſia uſum Probabilismi univerſim damnare non poteſt; quia in neceſſitate aut exigente gravi cauſa &c. utilis, tutus, imò neceſſarius eſſe poteſt. Uſum verò Probabilismi *pro meræ Libertatis exercitio* (ſeligendi ſcilicet pro libitu quascunque opiniones verè & merè probabiles, relictis omnibus probabilioribus ac tutioribus) damnare ideò fortè occaſio non fuit; quia illum ita *expreſſè* & *explicitè* nullus Auctorum docuiſſe legitur; ſed tantùm Doctores Probabilismi Jura Diſciplinæ ſuæ in *genere* ita dilatare ſtuduerunt, ut videri poſſint hoc genus Probabilismi

genera-

generaliſſimi admittere. Vel prodeant Probabiliſtæ magis cordati, & doceant *in ſpecie* & *explicitè* ac *expreſſis* terminis : *licitum ac tutum eſſe cuivis pro libitu in omni legum materia ſtudioſè ac de induſtria ſeligere & ſequi omnes ac ſolas opiniones verè quidem, ſed merè probabiles, relictis ſemper probabilioribus ac tutioribus* ; & tunc primùm, ſi hæc Doctrina ſciente Roma toleraretur, provocandum erit ad ſedis Apoſtolicæ Judicium. Certè Probabilismus Judicis, Medici, & Miniſtri Sacramentorum indubitanter ſunt proles Probabilismi generalis, & hinc Parens in quibusdam ſuis prolibus jam eſt certò reprobatus, ſicut etiam damnatus eſt *Tenuismus* per propoſitionem 3. ab Innocentio XI. reprobatam.

Explicatio, qua Commentatores hanc propoſitionem exponunt, mihi & aliis ſemper viſa fuit nonnihil incerta, utpote cui propoſitioni is affingitur ſenſus, in quo nullus eam Theologus docuiſſe videtur. Cui bono enim Eccleſia errores, quos nemo erravit, fingat, vel traditis à Doctoribus theſibus ſenſus affingat à mente Auctorum alienos, tantùm ut habeat, quod damnet? Propoſitio deſumpta ſupponitur ex Tamburino; ſed is *per tenuem* probabilitatem aliam non intellexit, niſi *veram probabilitatem*, quæ in infimo gradu ſumpta comparativè ad maximam probabilitatem dici poteſt *tenuis* ; & hinc ſignanter additur, *dummodò finibus probabilitatis non exeatur*. Fines probabilitatis ex mente Doctorum ſuorum non includebant niſi veras probabilitates; quia aliàs ineptiſſimè & ſequelâ

Chri-

Christiano Theologo indignissimâ intulissent, quòd aliquis tali probabilitate confisus agendo, *prudenter* agat; quis enim unquam censuit prudens esse, sine gravi ratione in re summi momenti periculis se exponere peccandi etiam tantùm materialiter, vel committendi errores solùm materiales?

Quarta denique ratio tuendi innocentiam Probabilismi desumitur ex defectu legis prohibentis illum. Sed nec ista ratio satis videtur firma. Multa enim sunt & non levia, quæ eidem adversantur. Ecce, qua lege ante annum 1679. prohibitus fuit Tenuismus in materiis de mera licentia actionis? Dein Leges divinæ: *non occides*: *furtum non facies*: *non mœchaberis*: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, sunt certæ; & quandò agitur de exceptione, vel exemptione casûs dubii ab obligatione legis generalis, de hac ipsa exemptione à lege constare debet. Sed de illa neque in Probabiliorismo ita constat. Solùm in hoc certò constat, per unanimem nempe consensum omnium Doctorum nixum rationibus publico Ecclesiæ judicio accedente approbatis. Adest insuper Primum, & maximum mandatum diligendi Deum totis viribus ita, ut servi simus fideles, & boni. Utrùm autem sat fidelis existimandus sit ille, qui nullum mandatum sive Divinum, sive naturale vel Ecclesiasticum observat, nisi de cujus non solùm existentia, verùm etiam de ejus sensu & extensione ad quodlibet genus

obſequii, de non-ceſſatione, vel non remiſſione, omninò certus exiſtat. Ad hoc demum Indago controverſiæ reducitur. Judicia Dei ex SS. Litteris attentiùs perpendantur, quibus transgreſſores mandatorum ſuorum caſtigavit; licèt rationes non leves ſæpè attulerint, quibus perſuaſi exiſtimarunt, quòd lex tam ſeverè non obliget; quòd ad eventum difficilem, de quo agebatur, ſe non extendat; quòd hîc & nunc non obliget; quòd interventus obverſantis cauſæ gravis ab ejus obſervantia excuſet; quòd certum aliquod genus hominum non concernat. Talia exempla ubivis ſe legentibus produnt, quæ in Juſtitia Probabilismi nimiam ponenti fiduciam Scrupulos non inanes injicere valent. Hæc de Innocentia Probabilismi fuſiùs, vel confuſiùs dicta, ſiquis in ordinem redegerit, & benè ordinata ritè expenderit, jus cuique parti ſuum ex æquo tribuere haud difficulter noverit. Cæterùm, antequàm huic Lucubrationi finis imponatur, pauca adhuc cumulatim ſubjicienda ſunt.

ANI-

ANIMADVERSIO XIX.

Quædam Reflexiones generales.

§. LIV.

Animadvertendum adhuc eſt ; Primò dari in moralibus in materia præſertim lubrica circà oſcula, amplexus, & alia ſimilia doctrinas, quæ licèt ſpeculativè ſua non careant vera probabilitate ; propter generale tamen periculum, cui uſus earum ob pravitatem naturæ ſubjectus eſt, illæ doctrinæ dici non debent practicè probabiles & tutæ. Sic etiam libenter admitto, quòd Probabilismus in manibus prudentûm, & timoratorum nocivus non ſit; quia ceſſat periculum abuſus. Sed, cùm Numerus minùs Sapientium ferè ſit infinitus ; cùm homo ex natura ſua promptus non ſit ad portandum jugum diſciplinæ, ſed potiùs amans libertatis ab adoleſcentia ; cùm intellectus operantium facilis & fœcundus ſit ad parturiendas Probabilitates contrà obligationes Legum : idcircò Probabilismus ex illis mihi videtur eſſe doctrinis, quarum uſus in praxi debet eſſe rarus & benè conditus; ejusdem verò commendatio de Cathedra publica nonniſi rariſſima & cautiſſima. Placet ad rem ſimilitudo S. Franciſci Saleſii in quodam ſuorum

operum docentis, quòd usus Chorearum se habere debeat sicut esus fungorum, quatenùs is, nisi & valdè rarus, & benè conditus sit, noceat sanitati, causet malignos humores, & demum generet mortem. Sic qui continuò & libenter cibis Probabilismi vescitur, qui vitæ suæ rationes ex Sententiis minùs probabilibus ordinariè componit, qui Legis Domino ad nullum Tributum nisi *certò præscriptum* se obligatum judicat, malignæ Laxitatis humores contrahet, & demum in Lethargum (tepiditatem extremam) incidet, ac tandem etiam *certas Leges* transgredi non verebitur. Via ascensionis ad jugum Probabiliorismi corruptæ naturæ non est ita commoda & accepta adeoque nec ita periculosa, ut per eam gradientes ultrà licitum excurrant. At facilior est descensus ad liberiora Probabilismi, & ideò majus ex hac parte periculum, cui meritò obviandum est.

Secunda Reflexio ex priori descendens est hæc, quòd Theologi Antiprobabilistæ, & Probabilioristæ ad sectandam disciplinam strictiorem proptereà magna ex parte inducti noscantur; quia intellexerunt, & satis apertè perspexerunt, quòd Probabilismus quomodocunque adornatus semper nimiùm aptus maneat ad generandos abusus, & quòd jam ipse *secundùm se* sit creatura, corruptis Sæculi moribus valdè indulgens. P. Thyrsus Gonzalez hanc suam men-

mentem non ſemel prodidit, & alii ſimiliter. Uſus Probabilismi in Regula jam non eſt licitus, niſi veſtiatur decem cautelis, niſi per decem reſtrictiones & moderationes à periculis abuſuum & à Laxismo muniatur: unde fit, ut quilibet uſus in Regula patiatur decem exceptiones usûs non liciti. Si ergò in aliqua Doctrina generali abuſus bonis uſibus prævalent, tunc convenientiùs prohibitio ponitur in Regula, & bonus uſus in exceptione à Regula. Ideò Probabilioriſtæ conſultiùs ducunt uſum probabilium in regula reprobare, & eundem per modum tantùm exceptionis ſubinde permittere, quàm ejusdem uſum in regula ponere, & decem ac plures exceptiones à regula ad præcavendos abuſus adjungere; *Reprobatio* enim Probabilismi in Regula cum *unica* exceptione usûs boni ad praxin expeditior eſt, quàm *defenſio* illius cum decem exceptionibus ad cavendos abuſus, utpotè quæ operariis minùs expertis facilè perturbationem aut oblivionem creare poſſunt.

Tertia Reflexio. Ex modo docendi, & agendi utriusque Syſtematis Sectatorum animadvertere licet, quòd Probabilioriſtæ ſæpè Probabiliſtis Laxismum, & hi illis neſcio quem Rigorismum, verbis & modis non licitis exprobent; quin ſe ſatis priùs explicent, de quo uſu vel abuſu tum Probabilismi tum Probabiliorismi loquantur.

Mille calumniæ & mille plauſtra injuriarium realium aut perſonalium, ac impoſitiones totidem de Doctrinæ pernicie, adnihil ſerviunt, niſi ad violandas leges charitatis certas, & ad parienda inter fideles Scandala. Concordentur priùs capita litis, & figatur ſtatus quæſtionis ad puncta magis reſtricta, & tum lite ſic punctatim conteſtata primùm proceſſus probatorius & dein deciſio juſta in ordine juris ſubſequi poterit; ſecùs more anicularum ſuper re incerta rixatur. Scribat R. P. Oſterrieder in ſuis Theſibus de anno 1765. uſum Probabiliorismi eſſe maximè pernicioſum. Verum fors dicit iſte Clariſſimus Vir; Sed cum Eunucho Reginæ Candacis quæri debet: *de quo* uſu Probabiliorismi *loquitur* hic *Propheta?* Bonus eſt uſus Navigii in pelago, & utilis tabula in Naufragio; bonus eſt uſus currûs in continente. ſed hic ipſe ad trajiciendum Oceanum nihil ſervit, imò perniciosus eſſet. Uſum tabulæ *neceſſitas utilem* facit, ita ut extrà illam uſus ejus periculoſus maneret; ſic & Navigium ſuper terram inutile eſt. Quam ob cauſam ſuccedit

Quarta Reflexio. Acerrimi propugnatores tam Probabibilismi, quàm Probabiliorismi ſua Scripta ita concipiunt, ut ſupponere videantur in Regno Litterario nullos dari cives niſi in rebus & Libris Theologicis verſatiſſimos, qui utriusque diſci-

plinæ Syſtema in toto complexu & quoad omnes ejus partes perſpectiſſimum habeant; cùm tamen multi ſint inſtabiles, qui non ex genuinis cauſæ meritis, utpotè quæ ignorant, ſed partium ſtudio & affectu præjudicii abrepti doctrinas de ſe quidem ſanas & optimas, facilè depravant, & quæ maximè ignorant, vituperant; hinc eſt, quòd illi Scriptores præ cæteris cautiùs incedant, qui ſenſa ſententiæ ſuæ verbis expreſſivis ità ad captum explicant, & aptant, ut etiam rerum minùs experti de mente Auctoris continuò in claris verſentur. Effectus palpabilis claritatis inter alios hic non erit ultimus, quando v. gr. aliquis Auctor ita ſe explicat, & tam clarè animi ſui ſenſa, Doctrinæ ſuæ argumenta, ac rei fundamenta proponit, ut, ſi benè ſcripſerit, omnes ſciant, quid approbent, ſin malè, ab omnibus advertatur, in quo redargui debeat. Quòdſi autem in una eademque olla crudum & coctum, in uno eodemque Themate bonum & malum, certum & dubium &c. commiſceat, tunc tale coagulum partim juſtæ probationi, partim juſtæ reprobationi expoſitum manet; & hinc, qui illud ex parte mali impetit, juſtam habet cauſam, & qui idem ex parte boni ſuſtinet, cauſam habet nec minùs juſtam, ſicque datur bellum utrinque juſtum, & ſimul injuſtum. Si enim ex parte, qua bonum non eſt, impetitur, tunc

ejus fautores mox conclamant, res, quæ bona eſt, rejicitur, & iis, qui de tota rerum œconomia non ſunt informati, fumus fit, ac ſi bonus uſus impeteretur, dum tantùm ex parte mali impugnatur; & tali modo præter charitatem etiam Leges Juſtitiæ violantur; quæ tamen omnia ceſſarent, ſi Scriptores doctrinas ſuas, maximè practicas, ad uſus diverſos, & ad captum omnium, etiam minùs expertorum, ita attemperarent, ut diſcuſſis ambiguitatis tenebris, quivis Lectorum primo obtutu ſcire poſſit, de quo rerum ſtatu tradita reſtrictim ſint intelligenda. Hanc ipſam Regulam utrùm in iſtis paginis obſervaverim, ideò aſſecurare haud valeo; quia hæc Scripturitio ex fortuita occaſione & reſolutione ſubitanea capta eſt, quin aliqua ſyſtematis ex integro formati delineatio præceſſerit; & ſic ex priùs tumultariè ſcriptis primùm occaſio deſumpta, & ſubminiſtrata fuit ad telam per ulteriora continuandam; quòd ſi tempus non defuiſſet, totum per ſecundas curas in meliorem ordinem, & per ordinem ad majorem perſpicuitatem redigendum fuiſſet, quapropter

Quinta Reflexio. Animadvertendum denique eſt, quòd, licèt hæc quatuor famoſa Paradoxa (videlicèt I. *uſus Probabilismi eſt maximè tutus.* II. *Uſus Probabilismi eſt maximè periculoſus.* III. *Probabilismus germaniſſimus degenerare minimè poteſt in laxismum:* IV. è contra *Probabiliorismus germaniſſimus in rigorismum exacer-*

currere, & simul laxismum inducere debet) in aliqua hypothesi ex diversis circumstantiis concinnata possint esse vera, & sensum habere nullis subjectum Scandalis ; eadem nihilominùs proposita extrà nexum sui systematis, & prout secundùm se jacent, periculis abusuum, & scandalorum manifestè non carent; Lectores enim propositiones & assertiones istas in Parergis Theologicis defensas & typis evulgatas intelligunt quidem, & legunt; sed hypothesin prorsùs extraordinariam, in qua ista Paradoxa verificentur, intelligere, & simul legere non possunt; itaque eadem, prout à suo corpore abscissa jacent, accipienda esse arbitrantur, quin de hypothesi multùm curent, ad quam possibilitas istorum Paradoxorum restricta est. Memoria gravissimorum & Religiosissimorum Virorum in benedictione est, qui systema Probabiliorismi totis Viribus propugnarunt, quin de periculis, quin de laxitatibus, & quin de Rigorismis constet, in quos vi systematis sui *excurrere debuerint*. Nam si Doctores Probabilioristæ sententias particulares subin tenuerunt benignas, & Probabilistæ rigidas in praxi sustinuerunt; id inerè per accidens, & nulla ex necessitate systematis contigit, ùt transeunti per utriusque partis sententias, extrà complexum systematis defensas, ad oculum patebit. Demùm.

Lòcò ultimæ animadversionis subjungere, & testatum facere debeo, quòd hæc sensa mea libero quidem calamo, sed sinceriſſimo

,pro-

promovendæ Veritatis ſtudio ita conſcripſerim, ut *liquidum*, & *turbidum* in utroque ſyſtemate *commixtum* nonnihil exagitem, atque ſic exagitando id demum obtineam, ut alii mediô exactæ percolationis aut diſtillationis *liquidum* à *turbido* ritè ſeparent, & haurientibus tempore opportuno ex utroque fonte hauſtus præparetur à fæcibus noxiis depuratus, & certò ſalubris. Dum igitur materias utriusque Diſciplinæ ſic exagitandas ſumpſi, procul à me abfuit, cujuscunque Partis Perſonas in minimo offendere (ſolùm in quosdam Probabilismi ad ſuæ & alienæ ſalutis perniciem abuſores hinc inde paulò acriùs, & quidem pro merito, invehi placuit) quia utriusque partis fautores æqualiter veneror, & utrique ſyſtemati ex parte adſtipulor, ut à neutro ex toto recedendum putem. Quòd autem in exagitando Syſtemate Probabilismi plus operis fuerit impenſum, ratio eſt; quia quivis Ciceto pro domo ſua magis, quàm pro aliena curat, præſertim ſi illi ruinæ intendantur. Juribus & uſibus Probabilismi tributum hactenùs fuit, quantum ei meo tenui judicio debetur. Et quis eſt ille Probabiliſta, qui Probabiliorismo tantum tribuere fuit hucusque dignatus? *Ad* ultimum juſtæ defenſionis ordo hunc proceſſum ſic inſtruendum poſtulavit, ut rectus Probabiliorismi uſus ab imputatis

Pa-

Paradoxorum noxis, quantùm fas eſt, purgetur.

Cæterùm ſiquid erroris, ſiquid falſi, vel alienum à ſenſu S. Eccleſiæ fortè præter intentionem irrepſiſſet, aut calamo properanti excidiſſet, id in anteceſſum revocatum, annullatum, & judicio Sacro-Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubjectum volo, utpotè cui tanquam Infallibili veritatis Magiſtræ me humillimè ſubjicio.

FINIS.

Errata.			*Corrige.*
Pag.	Lin.		
25.	18.	exanimaverit.	examinaverit.
34.	7.	indigestùque	indigestáque.
eod.	17.	relinquerunt	reliquerunt.
item.	23.	sortem	Soritem.
35.	5.	consulerint	consuluerint.
36.	30.	solidum	solidam.
40.	24.	exanimaverit.	examinaverit.
49.	7.	germanismum	germanissimum.
54.	15.	germanismi	germanissimi.
60.	15.	deberet	deberent.
64.	31.	germanismi	germanissimi.
70.	17.	istas.	istos.
176.	31.	debe.	debet.
179.	25.	Professore	Professores.
199.	25.	de	-----
206.	14.	decip.	decipi.

~~1804-475~~

Tom 7

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Herz, Josef

Status Quaestionis De Probabilismo

Augustae Vindelicorum 1766

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- Th S 1893
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11295832-9
VD18 14591057-004